




CAVSA SPIRITVS SANCTI,

Personæ divinæ, ejusdem cum Patre & Filio essentiæ,


contra C.C.S. Problema Paradoxum,

An non per Sp. Sanctum Sanctorum Angelorum genus intelligi possit?

asserta & defensa

à

CHRISTOPHORO WITTICHIO.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ARNOLDUM DOUDE. 1678.

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.



ogmata illa, quibus fides Chriſtiana nititur, floret & augetur, ex ſolis ſacris literis eſſe haurienda, inter Chriſtianos extra o-

 mnem

mnem dubitationis aleam positum esse debere reor. Modum enim, quo Deus miseris voluit succurrere peccatoribus, nemo nosse potest, nisi qui ex revelatâ ejus voluntate didicerit. Nemo enim illi à consiliis fuit, nec proin eorum rationes à priori reddere potest. Quòd Pater cum Filio habuerit ab æterno consilium pacis, quo Filius constitutus sit Sponsor & Mediator eorum, qui in Christo sunt electi, & in quo Sp. Sanctus voluerit intervenire, tanquam eorum Paracletus & arrhabo salutis illis conferendæ futurus, frustra in Naturâ quæsiveris, frustra exspectes ab hominibus divino lumine destitutis.

Di-

Discendus ergo est ex sacris divini Testamenti tabulis Pater ab æterno generans Filium, & Filius unà cum Patre spirans Sp. Sanctum, qui proin ab utroque æternâ processione procedit, modo qui superat omnium creaturarum captum, quippe infinitus, incomprehensibilis & ineffabilis. Hîc simplicitas Fidei requiritur, in solo nutu & placito divino acquiescens, non ultra ea, quæ scripta sunt, se superbè & ineptè jactitans & efferens. Cogitandum est, nos omnes esse admodum finitos, Deum solum infinitâ Omniscientiâ omnia præstare, nec propterea neganda, quæ ab ipso sunt profecta, quia

finitâ nostræ rationis decempedâ ea metiri non possumus. Nec mirari debemus, quædam hujus commatis nos legere in divino Verbo, quin è contrario mirandum foret, si omnia, quæ in illo reperimus, intellectui nostro essent pervia, quòd sic suspicio queat subesse, ab humano & finito Spiritu illa omnia potuisse proficisci. De illis, quæ sunt vel Patris vel Filii, nunc agere non constituimus, sed tantùm de iis, quæ ad Spir. Sanctum attinent, quæ, uti illum eandem cum Patre & Filio habere divinitatem testantur, ita quædam obtinere sibi propria; quibus à Patre & Filio tanquam diversa ab iis per-

sona

ſona diſcernitur, docent quoque. Hîc ſanctè inhærebimus revelatis, nihil indulgentes noſtris ratiociniis ſolo lumine naturæ ſuffultis. Viſus eſt his diebus Tractatus, qui Spiritui Sancto movit quæſtionem Status, tentavitque, an non ille, in cenſum creaturarum, angelorum nempe bonorum & ſanctorum, redigi poſſet. Indigna res illa mihi viſa fuit Chriſtiano nomine, & quam maxime in dignitatem infinitam Spiritus S. injurioſa, nec potui à me impetrare, ut cum ſilentio ferrem tàm indignè læſam ejus majeſtatem. Etiam urebat me, quod tanti momenti argumentum tàm imbecillis committere-

tur tibicinibus; quamvis enim Auctor illius ſententiam ſuam pro conjecturâ tantùm haberi velle aliquando videretur, ſatis tamen ex toto opere apparet, reverâ ſibi valdè probabilem eſſe viſam. Videbatur quidem hæc ſtructura, tàm infirmis nixa fulcris mole ſuâ ruitura, ut ita nullâ refutatione indigeret, cùm non eſſet metuendùm, ut iis, qui ſolidis aſſueti eſſent ratiociniis, perſuaderetur; varia tamen alia me moverunt ad hunc ſuſcipiendum laborem. Rogabat Scriptor, ut, ſi quis ſua argumenta refellere poſſet & meliora docere id faceret, promittebatque, ſe docilem futurum. Juſſit ergo

cha-

charitas, quæ omnia ſperat, ut tentarem, num forte divina gratia Spiritus Sancti meis conatibus benedicere, & illuminatâ mente illius Viri, eam melioribus cogitationibus, de ſuâ dignitate & excellentiâ adorandâ, imprægnare dignaretur. Metuebam etiam, ne leviora quædam ingenia, quæ quovis vento doctrinæ ſolent agitari, moverentur his qualibuſcunque ejus argutiis, præſertim cùm viderent tantam argumentorum copiam addu ctam, tot Eccleſiæ antiquæ Doctorum teſtimoniis corroboratorum; niſi quis eſſet, qui ſolidiora opponeret argumenta, & nebulas

bulas veritati objectas discuteret. Tandem me incitabat quoque ad scribendum, quòd occasionem mihi suppeditatam animadverterem in sensum genuinum variorum Scripturæ locorum ab illo allatorum inquirendi, eosque ita explicandi, ut cum scopo Sp. Sancti, antecedentibus ac consequentibus, & vi atque valore verborum ista interpretatio conveniret. *Sic* igitur *Causam Spiritus Sancti* suscepi defendendam, quod putabam à fideli ejus servo postulari. Quamvis enim ille suâ omnipotenti virtute sibi non sit defuturus, hoc tamen ipsum inter alia media ordinavit, ut viri

Dei

Dei ſe præſtarent potentes in Scripturis, ad os iis omnibus obſtruendum, qui veritati ſalutari contradicunt. Quibus luſtratis, deprehendi omnia, quæ de ſe nobis in illis revelavit, clarè teſtari de illius Æternitate, de Omnipræſentiâ, de Omniſcientiâ, quæ ex futurorum prædictione, ex cordium inſpectione, & imprimis, quòd profunditates Dei ſuâ infinitâ ſcientiâ planè comprehendat & exæquet, pleniſſimè pateſcit, ut & de vi Omnipotente & Omniſufficientiâ ejuſdem, nec non de operationibus efficaciſſimis vim omnipotentem & independentem e-

videnter evincentibus, cujusmodi conspiciuntur in potentissimâ omnium rerum Conservatione, & in formatione cordium atque efficacissimâ in ea operatione; quæ omnia manifestè patefaciunt, non posse illum in ordinem creaturarum, inter quas sunt Angeli, redigi, sed horum potius esse Creatorem & Conservatorem omnipotentem. Quibus adde quæ docent, illum esse Veritatem ipsam illuminantem fideles, quod divinum est axioma, esse Patrem luminum, quia Deus est, supremum legislatorem, Dominum suæ Ecclesiæ, in quâ habitet tanquam in tem-

templo, à quâ velit coli cultu & honore divino. Vel ergo Scripturæ divinitas abneganda nobis erit, quod non credo facturum hunc Scriptorem, vel agnoſcendus ille Sp. Sanctus & celebrandus tanquam æternum & ſupremum Numen. Præſertim cùm expreſsè diſtinguatur in Scripturâ ab angelis tanquam illorum Dominus, cui non minus quàm Patri & Filio gloriam omnem, quam creaturæ ſuo Creatori debent, exhibent; nec poſſit pro Angelorum Sanctorum genere haberi, cùm ejuſmodi unitas ei aſſignetur, non, quæ in corpus collectione unum cadit,

cadit, ſed quæ ejuſdem eſt planè rationis & ordinis cum eâ, quæ Patrem & Filium unum conſtituit. Nolo ſolicitè inquirere, quis ſit iſtius Opuſculi ſcriptor. Voluit latere ſuum nomen, quod initialibus tantùm literis expreſſit, unde conjicere liceret, eſſe *Chriſtophorum Chriſtophori Sandium*, qui *Nucleum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* in hiſtoriâ Arrianorum antehâc exhibuit; ſed cùm conjectura illa fallax eſſe poſſit, malui illum nomine *Auctoris Problematis* circumſcribere. Sufficiat lectori rem cum re, argumenta cum argumentis conferre, neque ex perſonis vel invidiam

vel

vel auctoritatem ſcriptis conciliare, quas cauſas ab eo, qui ſincerè veritatem inquirit, procul abeſſe velim. Unde nec admodum probare poſſum, quòd Scriptor ille tanti fecerit in hoc negotio Auctoritatem Patrum Ante-Nicænorum, ut ex illis præcipuè putaverit eſſe diſcendum, quid de Spiritu Sancto ſit ſtatuendum, de quo ex ſolis ſacris literis nos informari debere cenſeo, quamvis nec illos ipſi favere ex meo commentario poſſit eſſe manifeſtum. Hæc ſunt, Benevole Lector, quæ de meo ſcopo te volui ſcire; tu his utere ad Dei gloriam, & mecum lauda

ſum-

ſummam ejus majeſtatem, cui honor ſit & gloria in omnia ſecula. Amen.

CAVSA

CAUSA SPIRITUS SANCTI.

I. Prodiit non ita pridem *Problema Paradoxum de Spiritu Sancto, An non per illum Sanctorum Angelorum genus intelligi possit?* cujus Auctor petit, *ut, si quis in toto Orbe eruditorum forte sit, qui doctrinâ magis polleat, quàm quibuscum hactenus sit collocutus, ea legat,* quæ à se pro affirmativâ sententiâ publicè sint edita argumenta, *seque errare moneat, ac rectius sentire doceat.* Quinam sint illi, cum quibus de hoc problemate fuit collocutus, meâ nihil refert inquirere; tenuitatis meæ conscius de meâ eruditione & doctrinâ moderatè sentire didici; quia tamen persuasus sum, me ex Sacris literis, ex quibus solis de Spiritus Sancti naturâ & personâ possumus informari, ea posse proferre argumenta, ex quibus constet, per Sp. Sanctum, quando à Patre & Filio distinguitur, intelligi personam planè divinam ejusdem omninò naturæ & essentiæ divinæ, cujus sit Pater & Filius, judicavi, nihil me à meo munere alienum facturum, si ad istud propositum problema respondeam, cum divinâ allucenet

meo labori gratiâ, contingere queat, ut Problematis Auctor Deo det gloriam & veritati ex sacris literis demonstratæ cedat, modò ex sincero animi proposito doceri velit, quod, quamdiu contrarium non fuerit apertè testatus, de illo me sperare charitas Christiana jubet.

II. Miror verò non parum, quòd cùm non ignoraverit, Theologos varios, quando cum Socinianis congrediuntur, diversa Scripturæ testimonia adduxisse ad Sp. *S.* summam & æternam divinitatem probandam, nullum ab ipsis allatorum argumentorum conatus fuerit in hoc ipso tractatu refutare; cùm facile esset exinde colligere, non posse per Spiritum Sanctum, prout in Scripturis Sacris cum Patre & Filio comparatur, & ab illis distinguitur, genus Angelorum intelligi. Non enim potest Summus Deus cum Angelis, qui meræ sunt creaturæ confundi. Si igitur Sp. S. sit Deus Summus, si sit ejusdem divinæ naturæ & essentiæ cum Patre & Filio, non potest ullâ sub rationis specie in numerum Angelorum à Deo Summo creatorum, & ejus ministrorum, referri.

III. Non nego, varia illam vocem *Spiritus* in Scripturâ admittere significata; plura quam ipsemet recitavit p. 5. & seqq. videre

dere licet apud Ravanellum & alios; sunt tamen non pauci loci ab ipso adducti in significatione non verâ, quos brevibus examinemus. Pag. 5. putat Gen. I. 2. *designari corpus subtilissimum, quale est aër.* Verba sunt: והארץ היתה תהו ובהו וחשך על פני תהום ורוח אלהים מרחפת על פני המים Terra dicitur tunc fuisse תהו ובהו. Sensus istarum vocum patet ex Es. XXXIV. 11. קו תהו ואבני בהו. Linea, קו, ducitur ad ordinandum & distinguendum, hic dicitur linea תהו, quæ nihil ad ordinem & ornatum conferre potest. Perpendiculum, quod voce אבני exprimitur, demittitur ad dirigendam structuram; at hic dicitur בהו, quod nihil ad ædificandum conferre possit. Est ὀξύμωρον. Significatur desolatio, quâ omnia quæ cohærent dissolvuntur; & omnis ornatus, pulchritudo atque ordo tollitur. Dum ergo Terra dicitur fuisse תהו ובהו, significatur, caruisse omni ordine & ornatu, neque fundatam fuisse & exornatam, quemadmodum postea seqq. diebus, secundo & tertio factum, quando aquæ quædam superius sunt elevatæ, aliæ verò in receptacula sua separatæ, ut reliqua terra sicca foret, quæ herbis, plantis & arboribus postea decorata fuit. Atque ad istam confusionem & deformitatem quoque facie-

bat, quod tota terra tecta tunc esset aquis, quod clarè nos docet Ps. CIV. 6. *Abyssum superinjeceras terræ tanquam indumentum, supra montes stabant aquæ*, sic enim commodissimè mihi videntur verti posse Hebræa: תהום כלבוש כסיתו De hac autem abysso dicit Moses, quod super ejus superficie fuerint tenebræ, quum Lux postea demum facta fuisse dicatur. His jam subjunguntur verba illa, de quibus est quæstio; ubi notandum id dici factum, quando terra erat תהו ובהו, & quando abyssus aquarum terram obtexerat. Tunc dicitur Spiritus Dei מרחפת על פני המים. ubi על פני המים idem significare, quod על פני תהום, videtur ex dictis supra colligi posse. Vox illa רחף bis præter hunc locum occurrit in scripturis. Jer. XXIII. 9. רחפו כל עצמותי, quod sic verti potest: *commoventur* hinc inde, sive palpitant *omnia ossa mea.* De Deo usurpatur Deut. XXX. 11. *Ut aquila excitat nidum suum*, על גוזליו ירחף *super pullis suis se movet, pandebat alas suas, suscipiebat ipsum, ferebat eum super pennâ suâ*, quibus significatur, Deum Israëlitas servitute Ægyptiacâ graviter afflictos excitâsse verbo suo, ut sequerentur Mosen libertatis vindicem à se constitutum, eosque fovisse & protexisse gratiâ suâ, sicque ex Ægypto eduxisse; similitudine de-

desumtâ ab actione aquilarum, quæ pullos clangore suo solent provocare ad volatum, & super illos se motitant alis expansis. Ex quorum collatione intelligi potest, qualis actio per verbum מרחפת hîc spiritui Dei assignetur, actio nempe fovendi, tuendi, conservandi, perficiendi id quod factum erat. Dicitur se commovisse super facie aquarum sive abyssi, quæ tunc adhuc terram tegebant, adeoque super terrâ, quæ sub istis aquis latebat. Quid jam hic per Spiritum Dei intelligemus? aërem ne sive ventum? an Spiritum illum Sanctum, qui uti est distincta persona à Patre & Filio, ita ejusdem divinæ essentiæ est particeps? Non putem tertium hîc quid dari posse, cùm quid illud sit non possit exprimi, & proin planè debeat fingi, atque adeò eâdem facilitate, quâ asseritur, rejici possit. Nec id Auctor problematis dicere posset, cùm per Spiritum Dei hîc intelligat aërem; unde probato, non posse per Spiritum Dei hoc in loco denotari aërem, & actionem, quæ hîc Spiritui Dei attribuitur ejusmodi esse, ut apprimè conveniat illi Spiritui, qui est tertia S. S. Trinitatis persona, nihil restabit, quo minus per illum Spiritum De istam tertiam Trinitatis personam intelligamus. Fateor equidem, non repugnare

vento sive aëri commotionem & agitationem, sed nondum eo usque processerat opus Creationis, ut aër jam posset dici conditus. Terra primitus creata destituta erat omni ordine, omni ornatu, nondum fundata erat, nondum erat expansum, quod distinguebat aquas superiores ab inferioribus, quod expansum secundo die demum fuit factum, quod expansum erat aër. Aër ergo conditus fuit demum secundo die, adeoque primo die nondum fuit. Non potuit igitur primo die commoveri vel agitari super aquarum superficie, ac propterea non potest per Spiritum Dei intelligi aër. At hæc actio Spiritui S. qui unà cum Patre & Filio æternus est Deus, rectè appropriatur, & in sensu metaphorico commodè potest applicari. Spiritus Sancti est fovere, tueri & conservare ea, quæ condita erant, sicquè ea præparare ad ulteriorem perfectionem & novas formas recipiendas, quæ seqq. diebus fuerunt introductæ. Quid quæso convenientius, quàm hoc cogitari potest? Quid magis cohæret cum antecedentibus & consequentibus? Quid magis convenit scopo Mosis, qui est, ostendere, à Deo summè potenti omnia, quæ sunt in mundo, per æternum ejus Verbum & Spiritus divini virtutem fuisse producta, quo nos ducit

Ps.

Pſ. XXXIII. 6. *Verbo Iehovæ facti ſunt cœli & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Erravit ergo Auctor Problematis, dum per Spiritum Dei aërem intelligit, cùm hinc potius ſit colligendum, Spiritum Dei eſſe ſummum & æternum Deum.

IV. Non ſatis capio, quid ſibi velit Auctor, dum inquit p. 6. *Imprimis verò cùm prædicati loco ponitur, denotat ſpiritualem eſſentiam prædicamentaliter, ut Ioh. 4:24. Deus eſt Spiritus, & 2 Cor. 3:18. Dominus eſt Spiritus.* Quid enim quæſo eſt *denotare ſpiritualem eſſentiam prædicamentaliter?* quid huc faciunt prædicamenta? ſi hoc voluit, denotare eſſentiam ſpiritualem, quæ ſit ſubſtantialis adeoque pertineat ad prædicamentum ſubſtantiæ, non ad prædicamentum qualitatis, quò pertineat, ſi Spiritus Sanctus pro donis Spir. Sancti accipiatur, non uſus eſt phraſi convenienti ad hoc exprimendum; tunc enim potius dicendum fuiſſet: *denotat ſpiritualem eſſentiam in prædicamento ſubſtantiæ,* cùm inter prædicamenta æquè qualitas ac ſubſtantia ſoleat referri; forte verò dicere voluit, vocem Spiritus, quando ſic prædicati loco ponitur, de Deo tanquam ſubjecto, Logicè ſic dicto, prædicari. Sed hoc leviuſculum videtur; malè verò judicat, dum exiſtimat,

Spiritum Sanctum *designare mentem hominis sanctificatam Rom.* 14: 17. c. 15. 13. *Judæ*, 20. Rom. XIV: 17. sic legimus: οὐ γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ βρῶμα καὶ πόσις, ἀλλὰ δικαιοσύνη, καὶ εἰρήνη, καὶ χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Quænam quæso est necessitas, ut per Sp. S. hîc intelligamus mentem sanctificatam? Quidni intelligamus personam Sp. S. à Patre & Filio distinctam? Non ignorat credo Auctor particulam ἐν sæpissimè idem esse quod *per*. Quid obstat, quo minus hîc sic interpretemur? Quid requirit tota ἀκολουθία hîc aliud, quàm ut consideremus Sp. Sanctum tanquam auctorem istorum bonorum, quæ sunt δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη, καὶ χαρά? Quid facit ad amplitudinem sensus, si dicatur, ista dona residere in mente hominis sanctificatà? Nonne major erit verborum emphasis, si Spiritum S. auctorem illorum donorum intelligamus, ut sic ostendatur, nos ea non habere nisi per gratiam Spiritus Sancti? Simile judicium formandum de cap. XV: 13. Ὁ δὲ Θεὸς τῆς ἐλπίδος πληρώσαι ὑμᾶς πάσης χαρᾶς καὶ εἰρήνης εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς ἐν τῇ ἐλπίδι, ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου. Sanè intelligi non potest, quomodo ibi per δύναμιν Sp. Sancti denotetur mens hominis sanctificata, cùm modus loquendi & phrasis adhibeatur similis illis locutionibus,
qui-

quibus passim in *S*cripturis œconomica operatio vel Patris vel Filii vel utriusque simul solet significari. Conferatur Eph. III. 16. Ἵνα δῴη ὑμῖν κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, ubi sanè per *S*p. *S*. non potest intelligi mens hominis sanctificata, cùm ab eâ expressè distinguatur, & ab illo corroboratio interioris hominis exspectetur. Et χαρὰ καὶ εἰρήνη fructus spiritus expressè dicuntur Gal. V. 22. Nulla quoque necessitas nos urget, ut comma Judæ 20. sic exponamus. Ὑμεῖς δὲ, ἀγαπητοὶ, τῇ ἁγιωτάτῃ ὑμῶν πίστει ἐποικοδομοῦντες ἑαυτοὺς, ἐν πνεύματι ἁγίῳ προσευχόμενοι; potius, si hunc locum cum aliis conferamus, ubi *S*p. *S*anctus dicitur auctor precum, qui efficit & operatur preces, & hoc etiam modo mentem nostram sanctificat, quæ propterea tanquam effectus à suâ causâ debent distingui, judicabimus, per Spiritum Sanctum, qui nos facit orare, intelligi illam personam, quæ à Patre & Filio distincta ejusdem tamen cum iis est essentiæ numericæ & individuæ. Ita Rom. VIII. 26. Sp. Sanctus auctor precum à nobis precantibus adeoque à mente sanctificatâ planè distinguitur. Τὸ γὰρ τί προσευχώμεθα καθὸ δεῖ οὐκ οἴδαμεν, ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις.

V. Locum *Gen. VI. 3. Non permanebit Spiritus meus in istis hominibus in perpetuum, quia caro sunt* putat p. 6. & 7. *fortassis huc quoque applicari posse*, nempe, ut designet mentem hominis sanctificatam, *nisi malimus id, ut aliàs sæpe, intelligere de animâ nostrâ, quâ vivimus & ratiocinamur.* Verba Hebræa sic habent: לא ידון רוחי באדם לעולם בשגם הוא בשר והיו ימיו מאה ועשרים שנה, nec ullam ex his ab Auctore conjectis interpretationibus admittunt. Scio equidem Græcos interpretes & Vulg. Lat. aliasque quæ LXX. sequuntur, illud ידון exponere *permanebit*; an quia legerunt ילון, an quia ידון pro ילון acceperunt, quòd ד & ל sint literæ ejusdem organi, quæ inter se invicem permutari solent, an aliam ob causam, ut inquiram parum ad rem facere puto, sunt enim etiam inter Judæos, quibus ידון derivatur à נדנה, quod thecam, vaginam gladii significat. Verbum ידון hîc commodissimè verti potest per *judicabit*, vel potius *disceptabit*, *contendet.* Ita in Niphal נדון est disceptans 2 Sam. XIX. 10. ויהי כל העם נדון *Et erat totus populus disceptans in omnibus tribubus Israelis, dicendo, quid cessatis reducere regem?* sic in Hiphil Eccl. VI. 10.

ולא

ולא יכל לדין עם שהתקיף ממנו *Et non potest disceptare cum eo, qui validior ipso est.* Deus indicat præsenti in loco, se non amplius sic acturum cum hominibus illis, qui caro sint, homines corrupti, τὸ πνεῦμα οὐκ ἔχοντες Jud. vers. 19, nisi per 120. annos, quos adhuc vult impendere & concedere ipsis ad pœnitentiam, non verò ultra terminum istum suâ longanimitate erga eos usurum. Sic igitur ille est Spiritus non hominis, sed Spiritus Christi, qui idem est & Patris, quem Filius mittit à Patre, qui ut persona differt à Patre & Filio, unius tamen & ejusdem essentiæ cum Patre & Filio existit.

VI. Parum nunc faciet ad præsentem rem, *an vox Sp. Sanctus aut Spiritus Domini quandoque unum denotet individuum, aliquando individuum vagum*, quod ipse conatur ex Patrum testimoniis evincere p. 7. & seqq. Etsi enim generatim loquendo nolimus negare, quin vox Spiritus sumi possit pro angelo, & sic vox Spiritus Sancti aut Spiritus Domini, possit designare angelum sanctum & angelum Domini, non sequetur, quòd in omnibus locis Scripturæ, in quibus Spiritus Domini, aut Spiritus Sancti sit mentio, debeant intelligi angeli, cùm è contrario non pauci sint loci Scripturæ, quorum

quos-

quosdam suo loco exhibebimus, in quibus vox illa designat eam personam, quæ ratione suæ personalitatis à Patre & Filio distinguitur, ratione verò essentiæ divinæ nullo modo ab iis differt, cùm eandem habeat essentiam divinam, quam Pater & Filius habent. Dicta quædam Patrum ab auctore citata probant, ab iis angelos appellari *Sp. Sanctos* in numero plurativo, non tamen omnia, sed cùm id parum faciat ad negotium nostrum, nolumus abuti otio nostro ad ea examinandum.

VII. Progredimur ad illud quod p. 12. & 13. proponit, nempe *ut videamus*, *an cum aliquâ verisimilitudine dici possit*, *angelos actu ipso Spiritum Sanctum vocari*, quod in ipso titulo commodius hoc modo exprimitur? *An non per illum* Spiritum Sanctum *Sanctorum Angelorum Genus intelligi possit?* Agnoscit ille, Spirit. Sanctum esse personam, non nudam qualitatem, idque contra Socinianos propugnat negantes, Sp. *S.* esse personam, quorum argumenta in contrarium adducta etiam refutat ipsius socius *Auctor Addendorum* p. 53. & seqq. sicque fatetur Sp. *S.* à Patre & Filio distingui, tanquam personam ab ipsis diversam. Si ergo evidenter possit probari, Sp. S. in illis locis, in quibus, ut persona distincta à

Pa-

Patre & à Filio introducitur, describi ut Deum Summum, ejusdem cum Patre & Filio dignitatis & essentiæ, cadet utique paradoxa illa sententia per Sp. S. genus Angelorum, adeoque plures easque creatas personas, intelligens. Non ibimus per singula Scripturæ loca, in quibus de *Sp. S.* tanquam de personâ à Patre & à Filio distinctâ est sermo, id enim prolixum nimis foret; præcipua tantùm quædam considerabimus, secuti ordinem temporis, quo se sub diversâ œconomiâ manifestavit.

VIII. Antequam fœdus gratiæ Deus cum homine pepigisset, statim in opere Creationis Spir. S. introducitur, tanquam distincta persona à Patre Creante per Filium, sive Verbum, quo dixit & facta sunt, quo vocavit ea quæ non sunt, ac si essent, Gen. I. 2. de quo loco §. 3. jam egimus in antecessum. Exinde patet, per Spiritum Dei non intelligi aërem aut ventum, sed Deum, ea quæ creavit etiam conservantem & foventem, atque ad ulterius perficiendum commodè præparantem. At Conservatio sic appropriata Spiritui Dei, sicut Patri Creatio, denotat actionem personalem distinctam ab actione personali Patris. Eadem tamen non minus divinam potentiam adeoque essentiam arguit ac Creatio, cùm non

non sit facilius efficere ut res porrò existat, quàm ut existat primùm. Eadem voluntas potentissima ad utramque actionem requiritur; vide Apoc. IV. 11. ubi Creatio & Conservatio pari loco habentur, & tanquam divinæ actiones considerantur: Ἄξιος εἶ Κύριε λαβεῖν τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν καὶ τὴν δύναμιν, ὅτι σὺ ἔκτισας τὰ πάντα, καὶ διὰ τὸ θέλημά σου εἰσὶ καὶ ἐκτίσθησαν.

IX. Post fœdus gratiæ pactum post lapsum in Paradiso per insignem illam promissionem, quam legere licet Gen. III. 15. prima expressa mentio Spiritus Dei occurrit Gen. VI. 3. ad quod Scripturæ testimonium jam superius §. 5. animum advertimus. Evicimus ibi, Spiritum illum Dei non esse mentem hominis sanctificatam, nec animam nostram, quâ vivimus & ratiocinamur, sed esse Spiritum Christi, ut & Spiritum Patris, qui idem est, adeoque à Patre & à Filio distingui tanquam personam diversam. At Spiritus ille Christi Deus cognoscitur passim ex N. T. de quo suo loco videbimus, & hoc ipso in loco, quæ tribuitur ei actio, planè est divina. Dicitur disceptâsse cum hominibus peccatoribus per Noachum, hoc est, inspirâsse Noacho sanctum zelum pro gloriâ Dei, eique revelâsse diluvii pœnam secuturam impœni-

nitentes. Hæc actio cor Noachi spectabat, quod sic ab illo Sp. movebatur, quod immutabatur, in quo operabatur Spiritus ille, suggerendo vel formando ejus cogitationes. Formator ergo cordis istius Spiritus ille Dei, quæ actio Ps. XXXIII, 15. Deo assignatur; ex quâ formatione oritur cordis inspectio, quam actionem soli Deo competere patet ex 1 Reg. VIII, 39. Atque ita ille Spiritus Dei ab ipso Deo distinctus personalitèr, ex actione divinâ ut Deus agnoscitur. Similis est ratio Num. XI, ubi vers. 25, *Deum seposuisse de Spiritu, qui erat super Mosen, eumque resedisse super septuaginta Seniores, ut prophetarent*, qui Spiritus *Spiritus Dei* dicitur vers. 29. Cùm dicatur ille Spiritus Dei utique ab ipso Deo distinguitur, non ut divinum effectum; qui enim agitat & inspirat Prophetas ipsemet est causa Efficiens illuminationis Prophetiæ, quod ex antea dictis potest patere; nec ut divinum attributum, quod itidem ex phraseos naturâ cognoscitur, nec fortè Auctor problematis diceret; Ergo ut persona, quæ, cùm Deus sit, divina persona erit dicenda. Operatio enim illa, quâ prophetare illos fecit, divina omnino est, uti jam superius est evictum. Idem ille Spiritus Propheticus etiam animâsse dicitur Bileamum Num.

XXIV,

XXIV, 2. *Et sustulit Bileam oculos suos, & vidit Israëlem commorantem juxta tribus suas, & fuit super illo Spiritus Dei.* Nec incognitus fuit Spiritus Jehovæ Jobo & amicis ejus, prout patet Jobi XXVI, 13. c. XXXII, 8. c. XXXIII, 4. Post Mosem in historiâ Judicum mentio fit aliquoties Spiritus Jehovæ, tanquam animantis robore illos Judices, qui à Deo populo Israëlitico fuerunt præfecti. Sic de Othniele dicitur Jud. III, 10. *Et fuit super eo Spiritus Iehovæ & judicavit Israëlem.* Jud. VI, 34. *Spiritus Iehovæ* dicitur *induisse Gideonem.* Jud. XI. 29. *Et fuit Spiritus Iehovæ super Iephthah & pertransivit Gileadem & Manassem.* Ita Simsonem *cœpit agere Spiritus Iehovæ in castris Danis* Jud. XIII, 25. Similia de Simsone dicuntur Jud. XIV, 6. 9. c. XV, 14. In historiâ Samuelis iterum fit mentio *Spiritus Iehovæ*, qui, quos animavit, prophetare facit. Id prædixit Samuel eventurum esse Sauli 1 Sam. X, 6. & impletum dicitur vers. 10. Postea & Spiritus Dei invasit legatos Saulis 1 Sam. XIX, 20. & iterum ipsum Saulem vers. 23. Etiam irruit super ipsum Spiritus Dei fortitudinem animi conferens 1 Sam. XI. 6.

X. Sed properemus ad Davidis tempora. Insigne de Spiritu Sancto testimonium oc-

occurrit 2 *Sam.* XXIII: 2, 3. Davidis hoc in loco continetur prophetia postrema, post quam nullam aliam edidit David, eaque vaticinium complectitur de Messiâ & tempore ejus adventus, simulque edocet spem illam, quam David in illo semine benedicto ex suis lumbis proditturo, posuerit. Ut autem eam prophetiam commendet, argumentum desumit ab illius auctore, *Spiritu* illo veritatis, qui fallere & falli est nescius: רוח יהוה דבר בי. Appellat illum *Spiritum* Jehovæ, eo sensu, quo Gen. VI: 3. *Spiritus* Dei appellatur, qui etiam est *Spiritus* Christi, uti vidimus §. 5. De eo dicit דבר בי, quod possumus exponere, *locutus est ad me*, vel, locutus est in me. Utrovis modo acceptum denotat illam operationem, quæ non potest aliunde quàm à Deo proficisci, uti præced. §. ostensum fuit. Dicitur porrò de illo *Spiritu*: ומלתו על לשוני, quo significatur, illud ipsum, quod in seqq. est pronunciaturus, esse verbum *Spiritus Sancti*, quod ipse posuerit super linguâ suâ. Eodem igitur argumentandi genere utendum est nobis hoc in loco, quo antea præced. §. fuimus usi. Versu 3. subjungit אמר אלהי ישראל *Dixit Deus Israëlis.* Continet ista phrasis, quâ Deus dicitur Deus Israëlis, formulam fœderis gratiæ, quod Deus cum

Israële pepigit, juxta Gen. XVII: 7. *Stabilio autem fœdus meum inter me & te, ac semen tuum post te per ætates tuas, ut fœdus sit perpetuum, me esse tibi Deum & semini tuo post te*, quo sensu Deus tempore Vet. Testam. erat Judæorum tantum Deus, cum quibus solis fœdus pepigerat, separatis illis sibi in peculium, quando sinebat omnes gentes ire viis suis. Sequitur לי דבר צור ישראל *mihi dixit rupes Israëlis*, vel, de me, quia illa, quæ immediatè subsequuntur, ipsum Davidem spectant. Rupes Israëlis non potest esse, nisi ad quem tuto confugere potest omnis verus Israëlita, ut sic super illâ collocatus servetur ab irâ. Quòd si nunc verba ista sic interpretemur, ut de eodem Sp. Dei dictum censeamus, quòd sit Deus Israëlis, quòd sit rupes Israëlis, manifestum utique erit, per illum Spiritum non angelum vel angelos, sed summum Deum esse intelligendum. Non potest sanè æstimari, fœdus gratiæ pangere Angelum vel angelos creatos cum homine peccatore; in fœdere enim illo talia sunt, quæ creaturæ nullo modo possunt adscribi. Promittitur in illo fœdere justitia & vita æterna danda à fœderis auctore. Est hæc justitia, quâ peccator coram Deo potest consistere, quæ appellatur justitia

Dei

Dei Rom. III: 22. Ea non potest esse propria peccatoris justitia, quæ nulla est; cùm simus *omnes ut immundi, & omnes justitia nostra ut vestis sordida* Es. LXIV: 5. Hanc non possunt præstare angeli, sed Deus præstare potest. Per illud fœdus promittitur circumcisio cordis, & vera hominis sanctificatio; quæ sanè non nisi à Deo exhiberi potest, prout & passim in Scripturis hoc opus Deo tribuitur. Et ponit illa cordis nostri immutationem ejusmodi, quæ Creationis nomine in Scripturâ exprimi solet, quæ operatio non procedere potest, nisi à potentiâ infinitâ. Vita æterna verò proficisci non potest, nisi ab eo, apud quem est fons vitæ, qui est solus Deus Ps. XXXVI: 10. Postulatur in hoc fœdere fides ponenda in auctore illius fœderis. At eam negat Scriptura collocandam esse in creaturâ, & *maledictum* pronunciat eum, *qui fiduciam ponit in homine, & ponit carnem brachium suum, & cujus cor recedit à Iehovâ* Jer. XVII: 5. Rupes quoque Israëlis non potest esse alius, nisi qui Deus est Ps. XVIII: 32. *Nam quis est Deus, nisi Iehova; & quis est rupes, præterquam Deus noster?* Id quod & natura rei suadet; nam in hoc metaphorico sensu Rupes Israëlis non potest esse alius, nisi in quo firmitèr queat niti ad sa-

lutem, per quem ab omnibus hostibus possit defendi, qui profecto nemo potest esse alius, quàm Deus. Si igitur Sp. Sanctus est Deus Israëlis, si est rupes ejusdem, cui tutò & firmitèr inniti possit, omninò summus erit Deus, neque potest per Sp. Sanctum Angelus vel unus vel tota angelorum multitudo intelligi. Si verò verba Davidis hunc in modum accipiamus, ut de tribus personis *S. S.* Trinitatis censeamus illum locutum, adhuc tamen efficax manebit pro Sp. *S.* divinitate argumentum. Possunt autem verba illa commodissimè hunc admittere sensum. Pater enim is est, qui elegit Israëlem, ut cum illo fœdus faceret, in Christo Servatore, qui adjurat peccatorem, ut credat sibi, se futurum esse ipsi in Deum. Atque hoc passim appropriatur Patri tanquam illi, qui ex amore dedit nobis Filium & mittit Sp. Sanctum paracletum. Filius Dei verò est petra illa, ex quâ aquas biberunt Israëlitæ in deserto, quod expressè docetur à Paulo 1 Cor. X. 4. Sed sic tamen adhuc evinci potest, Sp. Sanctum esse summum & verum Deum. Collocatur enim in eodem ordine cum Patre & Filio, & ut auctor istius prophetiæ consideratur. At futura è longinquo, quæ nondum sunt in causis secundis, si prædicantur certò, & in-

infallibili cum eventu, indicant auctorem istius prædictionis primarium, hoc est, qui ea ex semetipso novit, nullâ alterius revelatione interveniente, esse solum Deum. Id ipsemet Deus testatur Es. XLI. 23. *Indicate quæ eventura sunt in posterum, ut cognoscamus, vos esse Deos*, & vers. 26. *Quis indicavit à principio, ut cognosceremus, aut ab antiquitate, ut diceremus, justus est?* Nec potest intelligi, quomodo illa possint cognosci alitèr quàm ex divinâ omni sufficientiâ & æterno consilio Dei, quo Deus certo tempore & certo ordine facere ea constituit. Tale erat vaticinium de adventu Messiæ cum particulari circumstantiâ istius temporis, quo domus sive familia Davidis non erat germinatura, omni splendore regio sublato; quod cùm demum post multa secula evenerit, non poterat ullius creaturæ sagacitate ex causis secundis, in quibus tum nondum erat, cognosci. Dein opus redemtionis, quod in hâc prophetiâ peragendum innuitur, ejusmodi est, ut illud auctorem habeat Patrem, qui dedit ex amore erga mundum suum Filium, ut carne assumtâ Patri fieret obediens usque ad mortem crucis, Filius vero Dei hîc veniat considerandus, ut qui semetipsum dederit pretium redemtionis pro multis, & Sp. S.

tanquam is, qui efficaciâ suâ omnipotente in cordibus nostris redemtionem à Filio Dei hic nobis paratam applicat; ad quæ omnia peragenda virtus & potentia infinita adeoque divina requiritur.

XI. Aliud Davidis dictum, ex quo æquè pateat Spiritus Dei divinitas, subjungamus, quod est Ps. CXXXIX. 7, 8, 9, 10. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? si adscendam cœlum ibi es; & substernam sepulchrum, Ecce te. Accipiam alas auroræ, habitem in extremo maris, Etiam eò manus tua duceret me & teneret me dextra tua.* Totus in eo est Psalmista, ut magnitudinem divinam extollat, quam supponit tanquam fundamentum suæ petitionis. Ad illam magnitudinem divinam inter alia refert Omnipræsentiam, cui simul implicata est illa divina perfectio, quâ fit, ut omnia ab ipso in omnibus adeoque etiam homo dependeat, quæ Omnisufficientia appellari potest, quam citatis verbis ita adscribit Deo, ut tandem assignet Spiritui Dei. De Spiritu *D*ei inquit vers. 7. *Quo ibo à Spiritu tuo?* quasi diceret, nullus est locus in mundo, in quo me ab illo sic possim occultare, ut non mihi sit ita præsens, ut totus ab ipsò dependeam, mecumque is possit agere quod voluerit. Spiritus autem ille *D*ei à *D*eo distin-

ſtingui cenſendus eſt eâdem ratione, quâ antea, juxta modum loquendi in Scripturâ receptum. At in antecedd. eum conſideravimus ut diſtinctam à Patre perſonam, neque id negaverit Auctor problematis, cujus ſocius, Sp. S. eſſe perſonam, contra Socinianos in hoc ipſo tractatu propugnat. Tantum ergo oſtendendum nobis eſt, illum Dei Spiritum eſſe verum & ſummum Deum. Sane vix dubitari poſſe puto, illa, quæ de Deo in ſeqq. dicuntur etiam de Spiritu Dei intelligenda. Id enim ἀκολουθία verborum videtur poſtulare. Quod verſ. 7. negavit de Spiritu Dei, negat eodem verſu verbis ſeqq. etiam de Deo, dicens, nullum eſſe locum in mundo, in quo ſe ſic poſſit à Deo occultare, ut non adſit ipſi Deus. Facies Dei eſt Deus præſens & intuens, cùm ergo doceat, nuſpiam ſe poſſe fugere, quin ſit *Deo* præſens, & Deus viciſſim ſibi, patet, nullum eſſe locum in mundo, in quo ſic ſe poſſit occultare, ut *Deus* non ſit ipſi ſic præſens, quin totus ab illo dependeat. At cùm ſic ea, quæ verſ. 7. dicta ſunt de Spiritu *Dei*, quoque dicantur de *Deo*, etiam reliqua, quibus iſta Omnipræſentia *Dei* in ſeqq. explicatur, Spiritui Sancto ſunt adſcribenda. Verſu 8. opponit loca quàm longiſſimè inter ſe invicem remota, cœlum & in-

internum sive inferiora terræ, atque docet, *Deum* in istis locis esse, adeoque sic ἀπὸ τοῦ κοινοῦ est dicendum, Spiritum in cœlo & inferno sive in inferioribus terræ esse. Pergit & *vers.* 9. opponit extrema terræ sibi invicem opposita, auroram nempe ubi sol oritur, & maris extremum. Notum autem est, mare respectu terræ Canaan situm esse ad Occidentem, ut ita Oriens & Occidens sibi invicem opponantur. Dicit, *si sumat alas auroræ*, h. e. si ad locum, ubi sol oritur, ita cito posset pervenire, sicut aurora ad se pervenit, vel, *si sibi substernat sepulchrum* etiam Dei manum se ibi ducere & dexteram ejus se ibi tenere, adeoque, & Deum illis omnibus in locis ita esse præsentem, ut in quocunque eorum sit, totus à Deo dependeat; ergo etiam de Spiritu Dei idem est intelligendum, eritque ille Omnipræsens, atque ita Omnipræsens, ut ab ipso David & quilibet homo, imò omnis creatura (par enim omnium est ratio) tota & omnino dependeat. Hæc autem planè divinæ sunt proprietates, & cui illæ conveniunt illi divina essentia non potest denegari. Possumus his addere ex Ps. LI. 13, 14. ubi petit *Spir. Sanctum Dei à se non auferri, & Spiritum ingenuitatis se sustentare.* In historiâ Regum Israëlis & Judæ etiam mentio

tio fit Spiritus Dei agitantis prophetas, ut 2 Chron. XV. 1. cap. XX. 14. cap. XXIV. 20.

XII. Sæpe etiam memoratur Spiritus Sanctus à Prophetis, qui temporibus istorum Regum prophetârunt. De Christo sic prophetat Esaias cap. XI. 2. *Et quiescet super illo Spiritus Iehovæ, Spiritus Sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilii & roboris, Spiritus scientiæ & timoris Iehovæ.* Sermo iterum est de Spiritu Jehovæ, qui à Jehovâ distinguitur ut persona, (eodem modo enim vox ista accipienda, quo passim in Scripturâ sumitur, nullâ exstante causâ, ob quam aliter hîc accipere oporteat) ita tamen ut sit idem numero & essentiâ Deus. Est enim Spiritus Jehovæ, qui est in ipso: nihil autem in Deo est, quin sit ipse Deus. Spiritus ille dicitur super Messiâ quiescere, hoc est, venire super illum, ut super eo maneat, quod sanè est intelligendum de ejus humanâ naturâ, cùm divina non possit quid aliunde accipere. In illâ naturâ sic quiescit, ut habitet tanquam in templo, quod vel ipsum est manifestum signum divinitatis Sp. Sancti, quod suo loco plenius deducemus. Epitheta, quæ hîc Spiritui illi attribuuntur, intelligenda sanè sunt respectu operationum & effectuum, quos in humanâ

Christi naturâ producit. Dicitur primum *Spiritus Sapientiæ*, quia operatur in Christo eam sapientiam, quâ cognoscit Deum secundùm suam sufficientiam & voluntatem, adeoque consilium divinum de manifestatione gratiæ & justitiæ suæ in hominis salute, quod sic cognitum etiam promtissimè exsecutus fuit. Dein appellatur *Spiritus prudentiæ*, quam in humanâ Christi naturâ ita produxit Sp. Sanctus, ut posset verum bonum & utile à falso dignoscere, & nosceret media optima, quorum usu finis consecutionem rectè obtinere posset. Sequitur aliud epitheton, juxta quod vocatur *Spiritus consilii*, dum nimirum in Christo effecit, ut post cognita media ea quoque legitimo modo & ordine ad obtinendum finem propositum adhiberet. Quoniam autem consilium istud exsecutioni mandari nequit absque fortitudine, etiam nominatur *Spiritus fortitudinis*, quam imprimis exseruit Christus, dum nullis obstaculis passus est se averti, quin curaret ea, quæ essent Patris sui, ejusque voluntatem plenissimè exsequeretur, tùm totâ suâ vitâ, tùm imprimis in vitæ extremo, dùm non refugit subire cum summâ patientiâ ignominiam, probra & contumelias quasvis, injurias, plagas, vulnera, mortem ipsam eamque igno-

ignominiosam quam maximè & acerbissimam in cruce. Tandem denominat illum Spiritum à cognitione & timore Domini, ut sit *Spiritus cognitionis & timoris Domini. Spiritus cognitionis* est intelligendus cum distinctione à *Spiritu sapientiæ*, ut ea cognitio referatur ad homines, ad membra Christi; sicque Spiritus Sanctus in Christo id effecerit, ut sciret συμπαθῆσαι, tentatus in omnibus absque peccato, ut accommodaret quoque se illorum infirmitatibus. *Spiritus timoris Domini* in humanâ Christi naturâ operatus est, ut ritè æstimaret gloriam & magnitudinem Dei, item sanctitatem ipsius & iram adversus peccata, & peccata detestaretur tanquam *Deo* adversa, è contrario verò omnia conferre anniteretur, quæ facerent ad nominis Dei sanctificationem. Hæc autem dum sic potuit operari in animâ Christi Sp. Sanctus, utique habuit eo ipso vim & potentiam planè divinam, adeoque & divinæ fuit essentiæ, juxta illa, quæ in superioribus fuerunt probata. Eundem illum Spiritum super se esse profitetur Christus apud Esai. LXI. 1. quod Christo applicatur testimonium in historiâ Euangelicâ Luc. IV. 1. Sic habent verba ad rem nostram præsentem facientia. *Spiritus Domini Iehovæ est super me, propterea quia unxit*

xit Iehova me ad evangelizandum mansuetis &c. Unctio enim illa nihil aliud est, quàm quòd *D*eus Pater Filio in humanâ naturâ dederit Sp. S., qui ea operaretur in ipso, quæ ad functionem Mediatorii officii fuerunt requisita, de quibus statim diximus. Michæas de Spiritu prophetico, sibi tanquam prophetæ concesso, ita loquitur cap. III. 8. *Sed ego plenus sum virtute à Spiritu Dei & judicio ac fortitudine, ad indicandum Iacobo defectionem suam & Israëli peccatum suum*; quæ quomodo divinitatem Spiritus probent, in antecedentibus declaratum fuit.

XIII. Insignis est locus Haggæi II. 4, 5. *S*ic *D*eus alloquitur Sorobabelem & Jehosuam & omnem populum terræ, ut *forti animo eos esse* jubeat in ædificatione templi, ratione hâc adductâ: *Nam ego vobiscum sum, ait Iehova* Deus *exercituum cum Verbo, quod promisi vobis, cùm exiretis ex Ægypto, & Spiritus meus stat in medio vestri ne timeatis.* Sic enim Spiritui Dei, qui manifestè distinguitur eàdem ratione, ut antea, ab illâ personâ, quæ hîc dicitur Jehova *D*eus exercituum, tùm à Verbo, quod Λόγος à Johanne appellatur, tribuitur vis omnipotens, quâ, sit defensurus ædificatores templi, iis benedicturus, ut per-

perficiant ea quæ susceperint, id quod phrasis illa עמדת בתוככם satis evincit. Potest illa phrasis commodè sic accipi, ut designet permanentiam & perseverantiam, sicut de Timore *D*ei dicitur Ps. XIX: 10. *Timor Iehovæ purus* עמדת לעד *manens in æternum*, & de justitiâ *D*ei Ps. cxi: 3. צדקתו עמדת לעד *justitia ejus manet inæterum*; cùm autem hinc desumatur argumentum ad expellendum timorem, idque firmum & solidum, necessario debet per illud *stare in medio ipsorum* talis permanentia inter ipsos intelligi, quæ conjunctam habeat promtitudinem & sufficientiam ad auxiliandum & benedicendum, eaque non potest esse nisi divina, cum omnis potentia creaturæ evanida sit admodum & fragilis, adeoque non sufficiat ad deponendum ómnem metum. Ita quoque vis istuismodi summè efficax & omnipotens tribuitur Spiritui *D*ei Zach. IV: 6. *Hoc est verbum Iehovæ ad Zorobabelem, dicendo: Non strenuitate, neque vi, sed per Spiritum meum, inquit Iehova Deus exercituum.* Hæc verba continent summariam explicationem emblematis, quod exhibitum fuit videndum prophetæ, vers. 2. & 3. dum vidit *cande-*

la-

labrum aureum & duas oleas juxta illud; quo candelabro procul dubio id significatum fuit, quod designatum est per candelabrum aureum in tabernaculo & templo, nimirum Ecclesia & in illâ imprimis Prophetæ, Apostoli, omnesque *Do*ctores V. & N. T. qui lucem verbi & Sp. Sancti omnibus exhibent, qui pertinent ad Ecclesiam. Cum autem duæ oleæ juxta candelabrum stantes exhibeantur, repræsentatum fuit, Spiritum Dei esse auctorem omnis istius lucis, adeoque opificem omnium, quæ ad templi mystici & spiritualis constitutionem pertinent. Ab his oleis possunt distingui duæ spicæ olei, de quibus est sermo vers. 12. quæ dicuntur vers. 14. *duo illi filii olei qui stant juxta dominum totius terræ.* Oleæ enim ipsæ sunt arbores, sicque designant Sp. Sanctum, prout in Ecclesiâ tum V. tum N. T. auctor est omnis gratiæ; sed spicæ illæ sunt arborum istarum fructus, denotantque eos, qui singulari ratione unctionis Sp. *S.* fiunt participes, suntque testes gratiæ illius sub utroque Testamento, cujusmodi sunt Prophetæ & Apostoli. Sic autem iterum vis omnipotens & omnisufficientia Sp. Sancto adscribitur. Quod denuo suppeditat nobis argumentum ad demonstrandum, Sp. S. esse Deum: fluit enim

enim ista omnipotentia & omnisufficientia ex infinitâ illâ & divinâ essentiâ, sive, eadem planè est cum illâ divinâ essentiâ. Deus ergo summus est Sp. Sanctus, neque potest per eum vel Angelus vel cœtus angelorum denotari.

XIV. Atque sic constantèr libri V. T. de Spiritu Sancto loquuntur, eumque describunt tanquam personam distinctam à Patre & Filio, quæ tamen eandem habeat cum illis divinam essentiam. Clariora adhuc sunt testimonia, quæ suppeditantur à libris N. T. quorum primum nobis exhibet caput XII. Matthæi. Sanaverat Jesus Nazarenus vers. 22. hominem, *qui obsessus à Diabolo cæcus & mutus paritèr erat, ita ut ille videret & loqueretur.* Unde colligitur, à diabolo impeditos fuisse ipsius oculos & linguam, ut loqui & videre non valeret, & ejecto diabolo officium & oculos & linguam rectè fecisse. Collegerat inde populus, quamvis cum dubitatione aliqua, vers. 23. eum esse Messiam sive Christum, (quem dicebat filium Davidis, quòd Davidi singularitèr promissum esset, ex ejus lumbis Messiam esse proditurum) quod fundabatur in eo, quòd de Messiâ prædictum fuerat, *ipsum contriturum caput serpentis*, Gen. III, 15, & *quòd captivitas for-*

fortis sit accipienda & captura violenti evasura Es. XLIX, 25. & quòd *par sit futurus propheta Mosi* Deut. XVIII, 15. qui suis miraculis, in quibus *D*ei digitus conspiciebatur, pudefecit magos & ipsorum præsidem *D*iabolum. Id quod sic colligebat populus rectius poterant colligere Pharisæi in lege magis versati, & collegisse videntur; unde contra conscientiam & repugnantes veritati dixisse arguuntur à Christo, ipsum *D*iabolos ejicere per Beelzebul principem dæmoniorum. Cùm enim omnia, quæ à Christo fierent & docerentur, tenderent ad *D*iaboli potestatem destruendam, fieri non poterat, ut per collusionem cum ipso ageret. Ostendit igitur, se per Spiritum *D*ei, qui super se quiescebat, & qui unà cum ipso mittendus erat, ejicere dæmonia & potestatem principis diabolorum destruere, regnumque Dei inter Judæos stabilire velle vers. 28. Εἰ δὲ ἐγὼ ἐν πνεύματι Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν εἰς ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. Spiritus igitur *D*ei erat, per quem ejiciebat dæmones Christus; & *blasphemantes illum Spiritum Dei*, dum opera ipsius nomine operum diaboli traducerent, se reos faciebant peccati istius, *quod non sit remittendum*, sive, *quod non sit remittendum, nec in hoc seculo nec in futuro*. Matth. XII.

XII. 31, 32. Spiritus ille Dei iterum, ut in antecedentibus, à Deo distinguitur, & tamen docetur, ita gravitèr posse in illum peccari, ut peccatum istud nunquam sit remittendum. Si igitur in Spiritum S. peccari possit tàm gravi peccato, ut illud non sit remittendum, oportet Sp. S. esse verum Legislatorem, *qui solus potest servare & perdere* Jac. IV. 12. Neque potest dici, hoc peccatum propterea tàm grave censeri, eò quòd, quamvis directè contra creaturam sit commissum, redundet tamen in injuriam adversus Deum; nam peccata talia, quæ à creaturâ redundant in Deum pro remissibilibus habentur; quin imò expressè Christus docet, *omne peccatum & omnem blaphemiam remissum iri*, etiam, *si quis verbum dixerit contra Filium hominis id ei remissum iri*, sed *qui dixerit contra Spiritum Sanctum non remissum illi iri, neque in hoc seculo neque in futuro*, quamvis etiam illud peccatum, quod commissum fuerit contra *Filium hominis*, redundet in Deum. Quod si igitur Sp. S. sit legislator, qui potest servare & perdere, est ergo Deus summus, est Deus omnipotens, & per consequens nec pro angelo nec universitate angelorum potest hoc in loco accipi. Si quis dixerit, gravitatem istius peccati non pendere à dignita-

te objecti, quod possit esse creatura, sed ab evidentiâ operationis, & illuminationis, is opponit quæ sunt conjungenda, & contradicit verbis Christi, qui *omne peccatum remittendum* dicit, *etiam si quis verbum dixerit contra Filium hominis*, adeoque multò magis peccatum contra Angelum vel Angelos commissum; & eo ipso suppeditat argumentum pro Sp. S. divinitate, cùm ista illuminatio, ista mutatio mentis non possit proficisci nisi ab eo, qui est formator cordis hominum, quem solum Deum esse superius est evictum.

XV. Alium ex Matthæo adjiciamus locum, qui legitur Matth. XXVIII. 19. ubi Christus docet, in cujus nomine sit baptizandum: Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Dicit Auctor Problematis p. 3. *Neque enim poteram impetrare à me ut crederem, non esse personam eum, in cujus nomen, non secus ac in nomen Patris & Filii baptizaremur.* Constat ergo inter nos, Sp. S. à Patre & Filio distingui, uti persona à personâ distinguitur. Utinam verò accuratius attendisset ad illam phrasin, *in nomen alicujus baptizari*, potuisset ex illâ æquè inferre, *Sp. S.* esse summum Deum, atque ex eâ collegit, *Sp. S.* esse distinctam personam

à Pa-

à Patre & Fil o. Baptismum utique suscipere debemus *tanquam lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti* Tit. III. 5. tanquam ἐπερώτημα τ͂ ἀγαθῆς συνειδήσεως; 1 Pet. III. 21; significat igitur Baptismus & obsignat nobis, nos regeneratum & renovatum iri à Spiritu Sancto, & nos acquisituros illud jus, ut possimus in fide à Deo petere & postulare, ut ipse sit perpetuò noster Deus, & nos simus ipsi in perpetuum populum; adeóque, dum Baptismum petimus, petimus nos regenerari & renovari per *Sp. S.* volumus censeri in populo Dei, postulamus, ut ille sit noster Deus nosque omni prosequatur benignitate in vitam æternam. Dum autem illum suscipimus *in nomen* alicujus, suscipimus illum ejusdem auctoritate, credimus ipsi, fiduciam ponimus in ipso tanquam tali, qui, quæ per Baptismum significantur, sit collaturus bona & beneficia, quòd sit futurus noster Deus & nos suscepturus in suum populum; suscipimus in nomen ipsius, ut ab illo nominemur tanquam sui, tanquam eum agnoscentes pro nostro Domino, pro Sanctificatore nostro. Hoc enim est in nomen vel in nomine alicujus (æquipollere enim hæc duo patet ex Act. 2: 38, ubi legitur, *baptizetur unusquisque*

in nomine I. Christi) aliquid agere aut admittere vel suscipere. Constare id potest ex iis, quæ legimus 1 Cor. I. 12, 13. ubi negat, Corinthios in nomen Pauli esse Baptizatos. *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrûm dicit; Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephæ, ego verò Christi. Divisusne est Christus? an Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomen Pauli baptizati estis?* Ex quibus patet, eum, in cujus nomen baptizati sumus, nos agnoscere pro fidei nostræ magistro, ab eo nos denominari velle & haberi pro ipsius servis & ipsi addictis. Quod adhuc clarius liquet, si conferamus ea, quæ de eo negotio iterum dicit cap III. 4 *Quum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli, alter verò, Ego Apollo, an non carnales estis? Quis igitur est Paulus, quis verò Apollos, nisi ministri, per quos credidistis & ut cuique Dominus dedit?* Inde enim apparet, *in nomen alicujus baptizari*, &, *esse ministrum, per quem credidimus, ut cuique Dominus dedit*, esse planè opposita, adeoque, eum, in cujus nomen baptizamur, esse Dominum nostrum, esse Dominum nostræ fidei, eum nos agnoscere pro nostro Deo, nos totos ei consecrare in ipsius servitium & cultum, nos illi subjicere quoad animam & quo-

quoad corpus, quod utique est eum habere pro summo Deo. Cùm ergo dicimur baptizari in nomen Sp. S. non possumus eum censere ministrum Dei, adeoque non possumus eum habere pro angelo vel cætu Angelorum. Hi enim omnes sunt πνεύματα λειτουργικὰ εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν Heb. I, 14. Omnes illi sunt σύνδουλοι Johannis Apostoli, adeoque & Pauli, qui ejusdem dignitatis fuit, *& fratrum ejus qui habent testimonium Jesu*, id ipsis angelis testantibus Apoc. XIX. 10. & c. XXII. 9. Pugnant ergo inter se invicem esse ministrum Domini & esse ipsum Dominum, addici Domino in servitium & per ministrum adduci ad illum Dominum. Et sanè, impossibile est hîc cogitare de distinctione essentiali inter illos, in quorum nomen sic baptizamur, cùm pari illi omnes habeantur loco. Æquè phrasis & eodem modo adhibetur de Spiritu Sancto atque de Patre & de Filio, Scriptura nullam differentiam inter eos ponit, & phrasis est talis naturæ, ut inferat relationem ad Deum supremum. Quidni ergo Auctor problematis eodem jure dixit: *Non possum à me impetrare ut crederem, non esse Deum eum in cujus nomen non secus ac in nomen Patris & Filii*

baptizaremur, ac dixit, se non potuisse impetrare, ut crederet, non esse personam eum, *in cujus nomen non secus ac nomen Patris & Filii baptizaremur?* Adde, quod baptizari in nomen alicujus est per ipsum servari, quod & ex dictis patet, & ex Act. IV. 12. ubi de Christo dicitur: *Et non est in alio ullo salus, neque enim nomen datum est aliud sub cælo, per quod nos oporteat servari*, quàm in nomine Jesu. At quod hîc dicitur de Christo non potest intelligi cum exclusione Patris, adeoque nec cum exclusione Sp. *S.* Pater nos servat dando nobis Filium, Filius nos servat, tradendo semetipsum hostiam piacularem pro nobis, *Sp. S.* nos servat nos inserendo Christo, qui est fons salutis, & nos participes faciendo beneficiorum Christi. Est ergo Pater, Filius & Spir. Sanctus nomen illud, quod nos oportet profiteri, si servari velimus, hoc profitemur dum in illud baptizamur; tunc testamur, nos illum, in cujus nomen baptizamur, habere pro fonte salutis & omnium bonorum adeòque pro datore omnium bonorum, pro patre Luminum, pro summo & Omnipotente Deo. Lightfootus non malè ad hunc locum: *Baptizabant* Judæi *proselytos* In nomen Patris, *id est, professionem Dei, quem no-*
mine

mine Patris insignierunt: Apostoli Judæos in nomen Jesu, *filii; Gentes* In nomen Patris Filii & Sp. Sancti. *Revelaverat se Pater in Veteri fœdere; Filius in novo in carne humana, miraculis, doctrinâ, resurrectione, ascensione; Spiritus Sanctus in donis & miraculis suis: ad summam ita maturitatem accreverat doctrina de Sacrosanctâ Trinitate, ad assequendam cujus agnitionem incubuit omnibus, verum Deum Trin-Unum profitentibus, ut in istius nomen baptizarentur.*

XVI. Adjungamus his locum ex Johanne Euangelistâ c. XIV: 26. Ὁ δὲ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. Confer cap. XIV. 17. ubi appellatur Τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας & c. XV. 26. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ. c. XVI. 13. 14. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν· οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, ἀλλ᾽ ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Sp. S. dicitur in illis locis 1. ὁ παράκλητος, qui opponitur τῷ κατηγόρῳ accusatori. Et sic tunc inter Judæos sumebatur vox illa. Intercedit ille pro nobis,

quâtenus habet φρόνημα studium pro nobis, & ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις Rom. VIII. 26. Auctor ergo est precum nostrarum tanquam Spiritus precum, easque in nobis operatur, quod non posse fieri nisi per operationem divinam, quæ æquipolleat Creationi, superius est demonstratum. Neque enim ullâ specie rationis dici potest, istos gemitus esse ipsius Sp. Sancti, cùm ne quidem in angelum Beatum id cadere possit, cùm isti gemitus non possint fieri absque aliquo dolore & tristitiâ, quæ cum ipsorum felicitate consistere nequit. Et superius vers. 23. illi gemitus nostri esse dicuntur, qui habemus illum Spiritum: Ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν: non ergo alio sensu pro nobis intercedere dicitur per illos gemitus, nisi quâtenus illos in nobis operatur & tanquam advocatus libellum supplicem nobis præformat, quo nos utentes eum nostrum facimus. 2. Vocatur τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, eodem sensu procul dubio, quo Christus est veritas, auctor nempe omnis veri, quod divinum planè est προτέρημα. Ita cap. XVI. 14. dicit Christus: *Ex meo accipiet & renunciabit vobis*: subjungitur autem vers. 15. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt. Ideò dixi: Ex meo accipiet & renunciabit*

ciabit vobis. Pater enim procul omni dubio est auctor omnis veri, adeoque omnis veritas apud ipsum est: at illa veritas est etiam Christi, & eadem est Sp. Sancti. Et quamvis hæc speciali quodam sensu hîc dicantur, quòd veritas ista fundamentalis, quam Christus & Sp. S. docet per Apostolos, in Euangelio, eadem sit cum illâ, quam & Pater ante adventum Christi docuit per Mosen & Prophetas, non tamen specialis ille sensus excludit generalem, cùm nihil sit in scripturis, quod ei repugnet, sed consensus scripturæ cum eo quàm maximè conveniat. Sed his verbis denotatur arctissima illa unio, quæ est inter Patrem, Filium & Sp. S. quâ uti est unica & eadem eorum voluntas, ita unica & eadem essentia omnium istorum trium. Unde etiam est, ut dicatur ἐκπορεύεσθαι ἀπὸ τοῦ Πατρὸς, sicut & Filius ipsum dicitur mittere à Patre. Hæc in angelos creatos nullâ ratione cadere possunt.

XVII. Ab Euangelistis progrediamur ad Acta Apostolorum, & quidem ad cap. V. in quo insigne testimonium occurrit pro supremâ divinitate Sp. S. Ananias & Sapphira uxor ejus, qui erant ex conversis ad Christum per Euangelii annunciationem, vendiderant possessionem suam, & præ se ferentes, ac si integrum pretium

C 5 ad

ad pedes Apostolorum posuissent, partem pretii defraudârant, sicque conati fuerant decipere Apostolos iisque mentiti erant. Petrus docet vers. 3. illos mentitos esse Spiritui Sancto. Phrasis enim illa ψεύσασθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον hîc idem significat, quod ψεύσασθαι τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ. Etenim vocabulum ψεύδεσθαι constructum cum Accusativo significat fallere Spiritum Sanctum, quod est fallendi causâ falsum dicere: non enim actu falli potest, sed potest tamen falli quoad intentionem, dum ei mentiris. Aristoph. in Nub. Μὰ τὸν Δί' οὐ ψεύσει γέ με *Per Iovem non falles me*. Aratus ubi de Syrio loquitur: οὐκ ἔτι κεῖνον ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντα φυταλιαὶ ψεύδονται *Non amplius illum cum sole exorientem arbores fallunt*. Euripides in Iphigeniâ in Tauris, Ἡμᾶς δ' Ἀπόλλων μάντις ὢν ἐψεύσατο *Nos verò Apollo vates decepit*. Et sic Græci quoque habent Interpretes Esai. LVII. 11. Καὶ ἐψεύσω με, καὶ οὐκ ἐμνήσθης οὐδὲ ἔλαβές με εἰς τὴν διάνοιαν, quorum stylum sæpe imitantur N. Test. Scriptores. Sic ergo hîc dicit Petrus ad Ananiam: *Quare implevit Satanas cor tuum, ut falleres Spiritum Sanctum & interverteres ex pretio agri?* Sciebat Ananias & Sapphira, Apostolos in festo Pentecostes impletos fuisse Sp. Sancto; non enim poterat latere ei, qui discipulus erat

erat Hierosolymis, solemne illud factum, quod totam Hierosolymam commoverat. Dum ergo voluit fallere Apostolos, id interpretatur Petrus quasi voluisset fallere ipsum Sp. *S.*, eoque nomine istum accusat vers. 3. quâtenus sic voluerit experimentum capere, an reverâ Spiritus Dei habitaret in Apostolis. Non malè hîc Grotius: *Mentiri Deo aut Spiritui Sancto dicitur is, qui sperat, se Apostolos fallere posse Spiritu S. instructos.* Et quoniam videri poterat tantùm voluisse fallere hómines, huic Objectioni occurrit Petrus vers. 4. dicendo; non tantùm voluisse fallere homines, sed omninò voluisse fallere alium, quem hîc vocat Deum, quem tamen vers. 3. appellaverat Sp. Sanctum. Opponuntur ergo homines Sp. Sancto, opponuntur etiam Deo, adeoque Sp. *S.* est Deus. Cui enim primario mentitus fuit Ananias, sive, quem primario conatus est fallere Ananias, ille est Deus vers. 4. Atqui Sp. *S.* est is, quem primariò voluit fallere Ananias, sive, cui mentitus est vers. 3. Sequitur ergo, Spiritum Sanctum esse Deum. Illa verò interpretatio vers. 3. quâ utitur Bidellus Anglus ille, cujus mentionem facit Auctor Problematis, *quod ψεύσασθαι cum Accusativo apud Graecos auctores idem sit, quod προσποιήσασθαι, hoc est,*

simu-

simulare & fingere, quasi dixerit Petrus, *Ananiam ex suggestione Spiritus immundi voluisse istam pecuniam intervertere, & tamen obtrusisse se Apostolis, pariter ut reliquos id fecisse motu Spiritus Sancti impulsum*, jam concidit; primùm tanquam non necessaria, quia ostendimus, τὸ ψεύδεσθαι cum Accusativo constructum etiam significare, decipere, fallere aliquem; dein tanquam inepta, cùm tollat nexum inter vers. 3. & 4. quem ostendimus; qui sanè nullus esse potest, si ψεύσασθαι cum Accusativo vers. 3. planè aliud significet, quàm ψεύσασθαι cum Dativo vers. 4. Et sanè, si Spiritus Sanctus non sit Deus, sed tantùm Dei legatus, angelus nempe vel angelorum chorus, & mens Petri sit, prout vult Bidellus; (mendacium, quod commisisti in Apostolos redundat in Deum, quia sunt ejus legati) non minus Deo debuit opponi Sp. Sanctus, quàm illi opponuntur homines: *non mentitus es hominibus, sed Deo*, sicque non magis debuisset accusari eo nomine, quòd voluisset fallere Sp. S. quàm quòd voluerit fallere homines, atque eâdem ratione dicere Apostolus, *non mentitus es Sp. Sancto, sed Deo mentitus es*; cujus planè contrarium ille hîc dicit. Deus igitur est Spiritus Sanctus, & quidem legislator, contra quem tàm gra-

graviter potest peccari, juxta ea, quæ superius fuerunt dicta, imò Deus summus, oppositus hominibus adeoque & angelis aliisque creaturis.

XVIII Non puto, prætereundum nobis esse capitis Act. XIII. versum 2. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ καὶ νηστευόντων εἶπε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, Ἀφορίσατε δή μοι τόν τε Βαρνάβαν καὶ τὸν Σαῦλον εἰς τὸ ἔργον ὃ προσκέκλημαι αὐτούς. Spiritus sanctus jubet non *Domino* sed *sibi* separari Barnabam & Saulum, quo significatur, eandem esse virtutem & potestatem Domini & Spiritus Sancti, qui si minor esset Domino, dicturus fuisset: *Separate Domino vel Deo Barnabam & Saulum.* Præcipit ut sibi separentur, ad quod ipse eos vocaverit. Constituit ergo illos ministros sibi, servos suos vocat: at sicut non possumus esse servi hominum in iis, quæ spectant ad religionem & conscientiam, ita nec possumus esse servi angelorum, eadem enim ratio contra utramque servitutem militat, quam adducit Paulus 1 Cor. VII. 23. Τιμῆς ἠγοράσθητε. μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων. Δοῦλος ἀνθρώπων opponitur τῷ εἶναι δοῦλον Χριστοῦ. Servus Christi is est, qui se ipsi totum subjicit quoad animam & corpus: nos enim pretio sanguinis sui redemit & addixit sibi in servitutem, quod idem est ac esse servos justitiæ. Qui sic est ser-

rituum conversis ex gentibus concessâ, dicunt: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, non majus vobis imponere onus præter ista necessaria, Ut abstineatis ab idolothytis & sanguine & suffocato & scortatione, à quibus si vosmet ipsos servaveritis benè facietis.* Ita postea Sp. S. certos limites determinavit prædicationis Euangelii Apostolis eorumque adjutoribus: Paulus & Silas *prohibiti sunt à Spiritu S. loqui sermonem Dei in Asiâ. Cùm venissent in Mysiam, tentabant versus Bithyniam, sed non sivit eos ire Spiritus Iesu*, Act. XVI. 6, 7. Constrinxit is Paulum, ut Hierosolymam tenderet, & coram sacerdotibus & senioribus populi prædicaret Christum, quem antea fuerat persecutus. Ita enim ipse Act. XX. 22. inquit: *Ego vinctus Spiritu proficiscor Hierosolymam* & vers. 23. *Sp. Sanctus oppidatim testatur, dicens: vincula & afflictiones me exspectare.* Ille etiam Sp. Sanctus est, *qui in Ecclesiâ constituit Episcopos*, prout docet Paulus Act. XX. 28. ex quibus omnibus apparet, illum habere curam Ecclesiæ tanquam suæ domus, quæ ipsum ut Dominum debeat agnoscere & per consequens ut Summum Deum venerari, quam reverentiam nulli Angelo, nulli creaturæ, licet exhibere. Qui enim sic est Do-

Dominus Ecclesiæ, eam regit & gubernat, ille est Dominus fidei ejus, quam habet Ecclesia.

XX. Quo imprimis facit illa Scripturæ phrasis, quâ dicitur Sp. S. habitare in nobis tanquam in templo suo, & nos esse templum Sp. Sancti Rom. VIII. II. *Si verò Spiritus ejus, qui suscitavit Iesum ex mortuis habitat in vobis, is qui resuscitavit Christum ex mortuis vivificabit & corpora vestra mortalia per Spiritum suum habitantem in vobis.* I Cor. III. 16. *Nonne nôstis, quòd templum Dei estis, & quòd Spiritus Dei habitat in vobis?* vers. 17. *Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet ipsum Deus: templum enim Dei sanctum est, quòd estis vos.* I Cor. VI. 19, 20. *Aut nonne nôstis, quòd corpus vestrum templum est Spiritus Sancti, quem habetis à Deo, & non estis vestri: Emti estis pretio. Glorificate igitur Deum in corpore vestro & in Spiritu vestro; quæ sunt Dei.* Dicuntur his in locis fideles templa Spiritus Sancti, quod vel solum & absolutè consideratum præbet nobis solidum pro Sp. Sancti divinitate argumentum. Respicitur per illam phrasin ad templum Hierosolymitanum, quod Deo Israëlis, ut ab ipso habitaretur, exstructum fuit; id quod ex historiâ inaugurationis &

D de-

dedicationis istius templi, quæ 1 Reg. VIII. describitur, manifestum. Dicitur vers. 11. quòd *impleverit gloria Iehovæ domum Iehovæ*, vers. 16. 20. *ædificata* dicitur *domus, ubi esset nomen* Jehovæ. Cum autem vers. 27. doceatur, *Deum non reverâ habitare in terrâ, nec cœlos ipsos nec cœlos cœlorum capere Deum, adeoque tanto minus hanc domum, quam ædificaverit Salomon*, & postea constantèr petatur à Deo, ut *auscultet in loco habitationis suæ in cœlis, ut audiat è cœlis* vers. 30. 32. 34. 36. 39. 43. 45. 49. videtur indicari, hoc templum tantum esse typum & umbram veri Dei templi, quod est Christus mysticus, caput cum suis membris. Ita de Christo dicitur Col. I. 18, 19. *Et ipse* (Filius dilectus Dei) *est caput corporis Ecclesiæ ..... quoniam in ipso placuit omnem plenitudinem habitare.* & cap. II. 9. *Quoniam in ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporalitèr*; de fidelibus verò id, quod supra laudavimus 1 Cor. III. & VI. Cùm autem templum sit destinatum ad cultum ejus, qui in eo vel typicè vel reverà dicitur habitare, manifestum est, fideles destinatos esse ad cultum Sp. S. qui in ipsis habitat. Dein, fideles sunt Θεοῦ οἰκοδομὴ *Dei ædificatio* 1 Cor. III. 9. sunt *templum Dei* vers. 16. ædificatum nempe, ut Deus in ipsis habitet: at ex

Act.

Act. XIII. XV. XVI. XX. quæ vidimus §. 18. & 19. plane apparet, fideles, sive Ecclesiam, esse structarum Sp. Sancti, & ex 1 Cor. VI. 19, eos esse templum Spiritus Sancti; unde colligitur, Sp. Sanctum esse Deum: non enim possunt esse structura non-Dei, qui omnisufficientiâ illâ & efficaciâ caret, quæ ad ejusmodi structuram est necessaria, nec possunt esse ad honorem & ad gloriam ejus, qui sit non-Deus. Ecclesia sub N. T. ædificanda dicitur היכל יהוה Zach. VI. 12. cujus ergo templum sunt fideles ille verus est Jehova, supremus & æternus Deus. Sunt autem ad honorem & ad usum ejus, qui in ipsis habitat, adeoque sunt ad honorem & ad usum Spir. Sancti, qui in illis habitare dicitur, sicut domus est ad honorem & ad usum Patrisfamilias, qui illam incolit. Præterea, Ecclesia est *templum Dei Sanctum* 1 Cor. III. 17. Sanctum dicebatur sub V. T. id quod soli Deo erat separatum, sicque sanctum erat templum, quia in eo solus Deus debebat coli. Hinc Jer. XIX. 4. dicuntur Judæi *alienâsse locum hunc, quando in eo adoleverunt Diis aliis, quos non nôrunt ipsi & Patres ipsorum & reges Judæ.* Multò magis ergo alienaretur Ecclesia Dei, verum ejus templum, si alii sanctificaretur, si alii sanctum esset, quàm sum-

summo & æterno Deo; concludendum ergo omnino est, Sp. S., cujus templum sanctum sumus, non esse angelorum cætum, sed supremum & æternum Deum, ejusdem cum Patre & Filio naturæ & essentiæ. His omnibus adde, quod sic simus templum Sp. S. ut illi emti simus pretio. Sumus ergo sic ejus templum, ut ipsius planè simus, ipsi addicti per emtionem factam pretio. Habebat nos Spiritus Sanctus per Creationem, unà cum Patre & Filio: sic eramus ipsius jure Creationis, adeoque debebamus esse ad usum ipsius, hoc est, ad ipsius gloriam. Per peccatum facti sumus illi inutiles, inepti ad ejus gloriam. Per redemtionem Christi effectum est, ut possit nobis uti, quia is *nobis factus est à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio* 1 Cor. I. 30.

XXI. Consideratione nostrâ dignus etiam est locus 1 Cor. II. 10. 11. ubi Spiritui Sancto Omniscientia adscribitur. *Spiritus enim scrutatur omnia, etiam profunditates Dei. Quis enim hominum novit ea, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in ipso: ita quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei.* Dum Spiritus Dei hîc dicitur scrutari omnia, non debet hoc ita accipi, ac si à noto progrediatur ad ignotum, eo modo, qui

qui in scrutinio propriè dicto solet obtinere, non magis, quàm quando de Deo dicitur, Jer. XVII, 10. *Ego Iehova* חוקר לב *qui scrutatur cor*, h. e. intimè & accuratè cognoscens. Sumitur ergo illud metonymicè, ut ponatur antecedens & intelligatur consequens. Nemo autem potest cognoscere profunditates Dei, nisi qui sit ipse Deus. Id docet Tzophar apud Jobum cap. XI. 7, 8, 9. *Numquid pervestigationem Dei assequeris? an usque ad finem Omnipotentis pertinges? Altitudine cœli quid facies? profundius inferno quid nosces? Longior terrâ est mensura ejus & latior mari.* Quod homo, quod Angelus, quod creatura non potest, potest Sp. Sanctus. Pervestigationem Dei non potest assequi creatura, quia Deus est infinitus & vim omnium creaturarum longè superat. Qui ergo pervestigationem Dei potest assequi, qui profunditates Dei potest penetrare, illum ipsum infinitum esse oportet, eum oportet esse omniscium. Dein *Spiritus hominis novisse* dicitur *ea, quæ sunt hominis*, quod non potest intelligi de iis, quæ sunt in hominis corpore; multa enim horum planè ignorat, quæ nimirum planè pendent à motibus corporeis; sæpe corpus hominis morbis in-

infestatur, quorum naturam non intelligit. Necessario igitur verba ista sunt intelligenda de hominis animâ, quatenus scilicet Spiritus hominis, qui idem est cum animâ hominis, conscius est eorum quæ sunt in se, cogitationum nempe suarum, eo ipso temporis momento, quo sunt in ipso. Ita igitur quoque Spiritus Dei dicitur novisse ea, quæ sunt Dei, quia est in ipso Deo, & sic cum Deo est idem quoad naturam sive essentiam. Neque potest intelligi, quomodo quid possit esse in Deo, nisi quod sit ipse Deus; cum inter divina attributa etiam veniat censenda summa ejus simplicitas, cui tamen non obstare personarum Trinitatem ex Scripturâ discimus.

XXII. Adjungamus locum, in quo de omnipotente Sp. Sancti operatione est sermo, cujusmodi occurrit 1 Cor. XII. 8. & seqq. *Huic enim datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii verò sermo cognitionis per eundem Spiritum* vers. 9. *Alii verò fides per eundem Spiritum, alii vero charismata sanationum per eundem Spiritum* vers. 10. *Alii verò operationes virtutum, alii verò prophetia, alii verò discretiones Spirituum, alii verò genera linguarum, alii verò interpretatio linguarum* vers. 11. *Omnia autem hæc opera-*

operatur unus ille & idem Spiritus, distribuens unicuique sicut vult. Continentur his omnia charismata, tùm ordinaria tùm extraordinaria, quæcunque nempe ad Ecclesiæ ædificationem sunt necessaria. Dona illa talia sunt, ut sint effecta in mente humanâ, eamque afficiant, varient & mutent. Illa dicitur *operari unus ille & idem Spiritus*, qui propterea mentem afficit, in eâ operatur, eamque immutat, prout vult; quam operationem ostendimus in antecedentibus esse divinam. Qui igitur operationem divinam edit, is non potest non esse Deus. Sed & Jacobus docet cap. I. 17. *quòd omnis bona donatio & omne donum perfectum sit superius, descendens à Patre luminum, apud quem non est mutatio aut conversionis adumbratio.* Spiritus Sanctus igitur, à quo sunt ista omnia bona dona & perfecta, est Pater luminum & per consequens supremus & æternus Deus. Id quod etiam potest confici ex collatione vers. 6. ubi illæ ipsæ operationes Deo attribuuntur, quæ hîc Sp. Sancto assignantur. Hîc enim de Spiritu dicitur: Πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα *Omnia verò operatur unus ille & idem Spiritus*, at vers. 6. legitur: Καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσίν· ὁ δὲ αὐτός ἐστι Θεὸς, ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν. *Et divisiones*

Operationum sunt, est verò idem ipse Deus, qui operatur omnia in omnibus. Est quidem ille Deus, cui ea vers. 6. adscribuntur, Deus Pater, quod requirit connexio cum versu 4. & 5. atque adeo Pater nomine *Deus* ita simpliciter posito intelligitur, quia ille est fons & origo *S. S.* Trinitatis, tanquam is, qui generat Filium, & à quo, ut & à Filio, procedit Spiritus Sanctus; operatio tamen illa ipsa communis est Patri cum Sp. Sancto, quamvis modus operandi sit diversus (quatenus Pater operatur à semetipso, Filius à Patre, & Sp. *S.* à Patre & Filio) sicque operatio illa Sp. Sancti, quæ etiam est operatio Patris, est operatio Dei, adeoque inde evincitur, Sp. S. esse Deum. Quod eò magis confirmatur & manifestum fit, quia ista omnia vers. 11. Spiritus Sanctus dicitur operari & *distribuere sicut vult*, non secus ac etiam Deus Pater vers. 18. dicitur *disposuisse membrorum unumquodlibet sicut voluit*, qui modus loquendi infert supremam Sp. Sancti & independentem potestatem & potentiam: creatura enim quæcunque agit, quantumcunque sit excellens, omnia agit dependentèr à Deo, & Deus omnia agit per istam creaturam, sicut ipse vult Deus, non sicut vult creatura, quæ, quod vult, velle debet

bet subordinatè ad voluntatem divinam. Neque ullâ ratione conveniens est, ut, ubi Deus dicitur agere sicut vult, etiam Sp. S. dicatur agere sicut vult cum Deo collatus, si esset creatura & non ipse Deus. Agit ergo creatura omnis, prout vult Deus, non prout ipsa vult, nisi quâtenus hujus voluntas est subordinata voluntati divinæ. At ejus, qui operatur omnia sicut vult, voluntas est independens & absolutè divina, eademque planè cum voluntate Patris & Filii.

XXIII. Claudat agmen 1 Joh. V. 7. Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. Non ignoro equidem, hunc locum abesse à variis codicibus antiquis & recentioribus, certum tamen est in aliis codicibus reperiri. Vel ergo dicendum, eum in illis codicibus, in quibus reperitur, suppositum esse & intrusum, vel ex illis codicibus, à quibus abest, fuisse erasum. Prius dici nullo jure potest; si enim supposititius foret, intrusus esset dicendus ab Arrianorum adversariis, quod verum esse nequit, cùm legatur à Cypriano, qui ante exortum illud certamen vixit, libro de simplicitate prælatorum seu Unitate Ecclesiæ: *Dicit Dominus, Ego & Pater unum sumus. Et iterum*

rum de Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est; & tres unum sunt. Dicendum ergo est, testimonium illud ex iis codicibus antiquis, à quibus abest, fuisse erasum, & sic defectum istum derivatum in codices recentiores, inde descriptos & in versiones inde derivatas. Et sanè totus contextus & ἀκολουθία verborum planè istud testimonium requirit, quod ut manifestum fiat brevem analysin antecedentium instituamus. Dixerat Apostolus vers. 3. *Præcepta Dei non esse gravia* fidelibus sive regenitis, *quia illi vicerunt mundum*, quod quid sit, & in quo consistat, oportet ut intelligamus ex 1 Joh. II. 14. 15, 16. Versu 14. hæc duo conjunguntur; *ut sermo Dei in aliquo maneat*, &, *ut vicerit malum.* In quibus ergo sermo Dei manet illi vicerunt malum. In quibus autem sermo Dei manet, illi sunt geniti ex Deo. Joh. xv. 7. sic dicit Christus discipulis suis: *Si manseritis in me & verba mea manserint in vobis, quicquid volueritis petetis & erit vobis.* Joh. VIII. 31. *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis*; qui autem manet in sermone Christi, in illis etiam vicissim sermo Dei manet. Atque sic è contrario Christus de Judæis irregenitis dicit: *Sermonem ejus non habetis manentem in vobis.* Joh. v. 38. Constat ergo

go, genitos ex Deo viciſſe malum, qui eſt Diabolus, qui eſt princeps mundi. Hunc igitur qui vicerunt, vicerunt mundum. Qui autem vicerunt mundum, etiam vicerunt ea, quæ ſunt in mundo, cujuſmodi eſt *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ, quæ non ſunt ex Patre, ſed ex mundo.* Patet ſic, non poſſe præcepta Dei eſſe gravia illis, qui vicerunt iſtas concupiſcentias, quæ, dum & quâtenus belligerantur in membris noſtris, obſervationem præceptorum divinorum nobis reddunt difficilem plus vel minus, prout plus vel minus ſunt ſubactę. Sic autem rectè ſubjungitur in loco præſenti, 1 Joh. v. 4, quod mundus vincatur per fidem, per quam purgantur corda Act. xv. 9. à pravis procul dubio concupiſcentiis, à quibus immunda ſunt reddita. Probat autem Johannes id, quod dixerat, quod *fides ſit victoria noſtra per quam vincimus mundum*, duobus argumentis, quæ verſ. 6. continentur, quorum prius eſt; quoniam fides eſt, quæ recipit Chriſtum, *qui venit cum aquâ & ſanguine*; alterum, quoniam qui credit, credit per Sp. Sanctum, *qui teſtatur, quòd Spiritus ſit veritas*, h. e. quòd ea, quæ prædixit per prophetas, ſint vera. Etiam teſtatur, quod Spiritus ſit ἡ ἀλήθεια, ſcilicet, quod *illa veritas*

ritas sit impleta, quòd Spiritus Sanctus sit effusus in omnem carnem citra discrimen gentis, Spiritus nempe fidei. Subjungitur vers. 7. tertium argumentum, quo probatur, quòd per fidem vincatur mundus, desumtum à tribus testibus, qui testantur, fidem vicisse mundum, qui sunt Pater, Verbum & Spiritus, qui dicuntur testari id in cœlo, quoniam, juxta modum loquendi in scriptura receptum, habitant in cœlis tres illæ personæ *S. S.* Trinitatis. Pater id testatus est sub V. Test. in quo locutus est & promisit semen benedictum & per illud vitam & salutem per fidem consequendam. Filius testatus est sub N. T. dum venit in carnem, & verba Dei, quæ adhuc dicenda erant, locutus fuit, & prædicavit fidem & resipiscentiam. Sp. Sanctus id testatur, quatenus συμμαρτυρεῖ Spiritui nostro, quòd simus filii Dei. Horum trium testimonium eo nomine commendatur, quod sit unum propter unitatem naturæ, unde eadem voluntas. At vers. 8. tres testes prioribus adjunguntur, per quos illi priores testes testantur in terrâ; ne quis possit excipere, illorum testimonium, qui sunt in cælis, sibi esse ignotum. Sic in terrâ testatur Pater per Spiritum fidei, quem effudit in credentes, Verbum testatur in terrâ per aquam,

quam, obedientiam nempe suam, quâ usque ad mortem crucis se subjecit Patri in carne assumtâ, Sp. S. testatur in terrâ per sanguinem martyrum, qui magnâ copiâ in terrâ propter testimonium Jesu fuit effusus; atque hi tres testes in terrâ dicuntur habere unum testimonium, quia in testando consentiunt. Hoc testimonium vers. 9. dicitur testimonium Dei, quod cum testimonio humano comparatur eique longè antefertur; quibus verbis manifestè respicitur ad vers. 7. neque posset intelligi, quomodo testimonium divinum hîc commendetur, si vers. 7. abesset, cùm non posset dici, ubinam de testimonio divino in antecedd. esset actum, si id non sit factum vers. 7. Sic verò ex hoc versu 7. collegimus primùm, illos tres testes esse tres distinctas personas, quod & clarum est ex diversis illis nominibus, quæ personas divinas in scripturis solent designare, & ex actione personali *testari*, quæ tribus illis distinctè adscribitur, nec credo negaturum Auctorem problematis, qui Sp. Sanctum personam dicit. Dein colligimus, illos tres esse unum & verum essentiâ Deum, adeoque Sp. S. non minus esse supremum, æternum & verum Deum, ac est Pater. Quomodo illi tres dicantur unum, nemo melius doce-
re

re potest, quam ipse ille Johannes, qui cap. x, 30. sic Christum loquentem introducit: *Ego & Pater unum sumus*; neque ulla est ratio, quare hi tres non debeant esse unum eodem sensu, quo cap. x. Pater & Filius unum esse dicuntur: at illo in loco Pater & Filius unum esse dicuntur non tantùm consensu, sed etiam & quidem præcipuè essentiâ; prius enim nititur altero tanquam fundamento. Dixerat vers. 28. *oves suas non esse perituras, nec rapturum quenquam esse eas ex manu suâ*, quæ ita possunt censeri esse connexa, ut posterius contineat rationem prioris; propterea non peribunt oves Christi, quia adeò fortis est Christi manus sive potentia, ut nemo eas ipsi eripere possit; quâ ratione ostendit, se valere eâ potentiâ, quæ superior sit potentiâ omnium rerum, omnium creaturarum, quarum quædam genera recensentur in loco parallelo Rom. VIII. 38, 39. *Persuasus enim sum, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla alia creatura, nos poterit separare à charitate Dei, qua est in Christo Iesu Domino nostro.* Pergit autem & confirmat illud argumentum vers. 29. & 30. hoc modo, quòd potentia Patris sit major omnibus,

bus, quæ eadem sit cum potentiâ suâ, adeoque cum suâ voluntate & essentiâ; unde sequitur, impossibile esse, ut quis suas oves rapiat è manibus suis. Vel hoc agnoscendum est, vel si aliud quid hîc fingas, enervabis argumentum Christi. Neque enim est, quòd dicas, propterea oves Christi non posse eripi ex manu Christi, non quòd adeò fortis sit Christi manus, sed quòd voluntas Patris velit, ut à Filio custodiantur, adeoque eas Pater suâ potentiâ conservet; hæc enim ratio, quòd Pater istas oves suâ manu conservet, postea demùm sequitur, tanquam confirmatio prioris, hîc autem argumentatur Christus à suâ manu, à suâ propriâ potentiâ. Quòd si igitur hoc *unum esse* eodem modo sit sumendum 1 Joh. V. 7. ac sumitur Joh. X. 30, quando de se & Patre dicit Christus: *Ego & Pater unum sumus*; omninò dicendum erit, hos tres esse unum essentiâ, & per consequens, cùm Pater sit Deus, dicendum quoque erit, Verbum & Sp. *S*. esse Deum. Sed & ipse hic textus requirit, ut intelligatur unitas voluntatis, quæ etiam sit unitas essentiæ, sive in unitate essentiæ habeat fundamentum. *S*i enim hîc tantùm locum habeat unitas consensus & voluntatis, ut interea sit diversa essentia; adeoque si unitas consensus & voluntatis

non

non habeat ortum ex unitate essentiæ, id inde orietur, quòd voluntas Verbi & *Sp. S.* dependeat à voluntate Patris; adeoque voluntas horum erit dependens & limitata, non absoluta & infinita. At ex superioribus patet, voluntatem Sp. S. omnia operari sicut vult; (ut nunc de *Verbo* non agamus, de quo idem facile posset probari, si id requireret præsens institutum.) Est ergo voluntas Sp. S. divina, adeoque & divina est ejus essentia.

XXIV. Atque ex his deductis manifestè apparet, Scripturas V. & N. T. quando de Sp. Sancto eam faciunt mentionem, ut per illum personam intelligant, sic Sp. Sanctum describere, ut ex illis descriptionibus constet, eum esse supremum & æternum Deum. Hæc vellem Auctorem problematis absque affectibus & præjudiciis ad animum advertere, quemadmodum ad ea Scripturæ loca attendit, quibus solent nostri Theologi personalitatem Sp. Sancti probare. Non enim dubitem, non minus efficacibus argumentis demonstratam esse ex S. literis Sp. S. æternam & supremam divinitatem, ac ex iisdem evicta est Sp. Sancti personalitas. Et mirabor, si argumenta illa à nobis in superioribus adducta sic possit enervare, ut in nullo eorum quicquam

ro-

roboris esse clarè evincat. Velim autem, ut sicut socius ipsius, *Auctor addendorum*, comparavit illa, quæ à Socinianis ex Scripturis adducuntur contra personalitatem Sp. S. cum iis, quibus Orthodoxi Sp. S. personalitatem demonstrant, &, quemadmodum illâ comparatione institutâ deprehendit, loca Scripturæ, quæ videntur pugnare cum Sp. Sancti personalitate, sic posse explicari & conciliari, ut ne umbra quidem contradictionis supersit; ita ambo illi etiam comparent loca Scripturæ, quæ ab Orthodoxis pro divinitate Sp. Sancti afferuntur, cum iis quæ ab eorum adversariis in contrarium urgentur; sic non dubito, quin loca illa, quibus Orthodoxi utuntur, quorum quædam in superioribus ursimus, tantâ luce radient, ut, modò oculos claudere nolint, sint deprehensuri Sp. S. divinitatem æternam & supremam in illis ita stabilitam, ut ad reliqua concilianda facilis sese sit apertura via. Certissimum enim est Sp. Sancti æternam divinitatem ita Solis radiis in istis locis esse descriptam, ut vel agnoscendum sit, unicam & eandem numero essentiam esse divinam Patris & Sp. S., vel fingendum sit, plures esse Deos essentiâ & numero inter se invicem differentes, quorum posterius &

cum Scripturâ & cum ipsâ ratione evidentissimè pugnat. Scripturam si audias leges Deut. VI. 4. *Audi Israël, Iehova Deus noster Iehova unus est.* Insignis imprimis & clarus est locus, qui legitur Es. XLV. 5. & seqq. *Ego Iehova & non est alius, præter me non est Deus ..... Ego Iehova & non est alius: Formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: ego Iehova faciens omnia ista.* vers. 21. *Nonne ego Iehova? & non est amplius Deus præter me, Deus justus & servans non est præter me. Respicite ad me & salvemini omnes fines terræ. nam ego sum Deus & nullus est præterea.* Similia leguntur Es. XLVI. 9. *Recordamini priorum à seculo. Nam ego sum Deus fortis, & nullus est præterea Deus & non est ut ego.* Ipsum lumen rationis unum tantùm agnoscit Deum, & in pluralitate Deorum manifestam deprehendit contradictionem. Per Deum enim intelligimus Supremum omnium, qui omnes omnino habet perfectiones, & à quo nihil perfectionum potest abesse: at non potest esse nisi unus Supremus & Maximus. Si enim duos ponas Deos æquales, neuter erit omnium supremus, adeoque neuter erit Deus. Si verò alterum ponas minorem altero, ille qui minor est

non

non erit Deus, propter dicta; non erit Independens, sed dependens, quia à Deo omnia alia dependent; nec potest concipi summè perfectum, nisi id, à quo omnia alia dependent, quia id perfectius est, à quo omnia dependent, quàm illud, à quo non dependent omnia. Omnis ergo, qui sic dependet ab altero, Creatura erit, non Deus. Sed nolo in istis probandis esse magis prolixus.

XXV. Adjungam hisce argumentis, quæ à naturâ *Spiritus Sancti* desumta fuerunt, juxta ea, quæ nobis in S. Scripturâ revelantur, duo alia, quæ suppeditat descriptio *Angelorum*, prout ea in sacris occurrit. Prius formo ex iis locis, quæ minorem puritatem & sanctitatem angelis assignant, quàm Deo. Huc facit locus Jobi IV. 18. ubi Eliphaz sic loquitur: *Ecce servis suis non fidit, & in angelis suis* יָשִׂים תָּהֳלָה, quod vertunt alii, *ponit stultitiam*, alii, *ponit lucem*, verbis diversis non parum, quæ quoad rem sensum eundem inferunt: nempe, quod angeli cum Deo comparati non possint adæquare puritatem & sanctitatem divinam. Magis tamen arridet illa interpretatio, quæ vocem תָּהֳלָה vertit *lucem*, ita ut sit sen-

sus, Deum, quoties suis angelis utitur, ad exsequendum sua mandata, non eos reperire adeò perfectos, ut non indigeant novâ luce, quam continuò iis tenetur conferre, siquidem velit, ut perfectè exsequantur suam voluntatem. Si igitur Spiritus Sanctus designat genus angelorum, omnia illa, quæ hic dicuntur de Angelis, poterunt de Spiritu Sancto enunciari. Confer & Jobi XV. 15. cujus idem est sensus. An verò diceret Auctor problematis, *Deum non fidere Spiritui Sancto, & in illo ponere stultitiam?* an hæc possent excusari à blasphemiâ? an diceret potius, Deum in illo ponere lucem, quasi non sufficientem habeat in se, qui est ipsa lux & veritas, atque Spiritus veritatis, verbo, qui est unus cum Patre & Filio supremus & æternus Deus.

XXVI. Aliud adhuc depromo argumentum ex Es. VI. collato cum Joh. XII. & Act. XXVIII. Es. VI. introducitur *Dominus sedens super throno* vers. 1. qui est *Iehova exercituum*, vers. 3. adeoque & angelorum, qui nomine exercitus Dei solent venire in sacris; *coram eo* dicuntur *stare Seraphim*, Sancti nempe angeli, *clamantes alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus est Iehova Deus exercituum, tota terra plena est gloria ejus.* Is vers. 9. & 10.

mit-

mittit Prophetam Esaiam, ut dicat populo Israëlitico: *Audite audiendo & non intelligite, & videndo videte & non cognoscite. Pinguefac cor hujus populi & aures ejus aggrava, & oculos ejus transversos age, ne videat oculis suis & auribus suis audiat, & cor eorum intelligat, & revertatur, & sanem illum.* Ex quibus apparet, eum, qui hæc loquitur ad Prophetam, planè distingui ab illis Seraphim, qui stabant coram throno & Sanctitatem Dei celebrabant. Sedens autem super throno dicitur fuisse Filius Dei Joh. XII. 39, 40, 41. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcavit oculos eorum & obthuravit eorum cor, ut non videant oculis & intelligant corde, & convertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaias cùm vidit gloriam ejus & locutus est de ipso.* Idem autem dicitur à Paulo fuisse Spiritus Sanctus Act. XXVIII. 25, 26, 27. *Benè locutus est Spiritus Sanctus per Esaiam Prophetam ad Patres nostros, dicens: Abi ad populum istum & dic: Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non cognoscetis. Aggravatum enim est cor hujus populi &c.* Neque tamen dubitari potest, quin etiam Pater in hâc visione revelaverit suam gloriam, adeò ut Pater, Filius & Sp. Sanctus fuerint repræsentati

per eum, qui sedit super illo throno, coram quo stabant Seraphim, Sancti angeli, sanctitatem ipsius summam omnibus laudibus deprædicantes. Quòd si sententia Auctoris problematis obtineat, ut per Spiritum Sanctum sit intelligendum genus angelorum, debebit necessario per Seraphim designari, adeoque Sp. Sanctus erit dicendus & is, qui sedebat super throno, cujus gloria revelabatur, quòd accinctus esset Angelis ejus laudes indesinentèr deprædicantibus, & illi ipsi angeli, qui laudes ejus Sanctitatis ebuccinabant; quæ planè esse ἀσύςατα, & manifestam implicare contradictionem nemo est, qui non videat.

XXVII. Non videtur Auctor Problematis cogitâsse, posse suæ conjecturæ vel opinioni opponi omnia illa argumenta, quibus Orthodoxi probant, Sp. S. esse supremum & æternum ejusdem cum Patre & Filio essentiæ Deum, cùm nullam eorum in suo tractatu fecerit mentionem; tria tantùm adducit, *quæ videntur conjecturam suam evertere* p. 48. dequibus ibidem dicit, *sibi non tanti roboris apparere, ut per ea omnes adducti scrupuli ex mente sua ejiciantur*, quæ *qualiacunque tandem sint, ob oculos* censet *ponenda, & quæ ad singula respondeat explicandum*; quæ nos nunc quoque considerabimus, & an ab iis

iis rectè se expediat, examinabimus. Primò sibi objicit, quod Vigilius in Disputatione contra Arium ex personâ Athanasii scribat: *Virtutes cælorum Angelos esse nemo dubitat. Qui etiam secundum Apostoli testimonium in hunc Spiritum tanquam in suæ originis autorem reverentissimè desiderant aspicere. Dicit enim ita: Ea quæ sunt vobis à Spiritu Sancto missa de cælis, in quem concupiscunt Angeli prospicere.* Hæc postquam sic per modum Objectionis sibi proposuisset, varia ad ea respondet. P. 49. dicit: *Quòd Vigilius sic prodat, autorem disputationis hujus esse Latinum, quia locum allegatum ex* 1 *Pet.* 1. 12. *legat ut Vulgata, cùm in Græco longè alio sensu legatur.* Quæ observatio cui rei inserviat non ego assequor: non enim opus erat hoc inde colligere, cùm Vigilius, sive quisquis auctor est librorum contra Eutychen lib. 5 apertè fateatur, se libros adversus Sabellium, Photium & Arium idcirco sub nomine Athanasii scripsisse, ut præsentes cum præsentibus viderentur agere. Ipsemet verò Auctor problematis fatetur in seqq. *difficultatem sic non tolli; nam*, inquit, *& sic Spiritus Sanctus distinguitur ab Angelis, qui concupiscunt prospicere in ea, quæ in Spiritu Sancto vel per Spiritum Sanctum annunciata sunt homi-*

*nibus fidelibus, in qua sanè Spiritus San-
ctus, tanquam quæ ipse euangelizavit, non
opus habet, ut prospicere concupiscat.* Ma-
net ergo difficultas ipso fatente; quæ ad-
huc major reddi potest, si cogitetur, eum,
qui agitavit Apostolos, non potuisse esse
Angelum vel Angelos, sed debuisse esse
ipsum Deum supremum & æternum. Co-
natur tamen eam tollere p. 50. sed hæsi-
tabundus admodum, quæ nos expende-
mus. Dicit, *considerandum esse, an suffi-
ciens sit responsio seu solutio petita ex Orige-
ne, qui tomo II. in Matth. scribit* εἰς ἃ ἐπι-
θυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι. ἔνθα οὐκ εἴρηται πάν-
τες ἄγγελοι *Legimus*: in quæ desiderant an-
geli prospicere, *ibi non dictum est*, omnes
angeli. *Inde probat Origenes, homines in
Christo salvandos quibusdam angelis, quibus
non tradita est administratio discernendi malos
à justis iisdemque non omnibus, præstantiores
esse. Confer Tom. 17. in Matth.* 22. 24. Ego
verò existimo illam responsionem planè es-
se insufficientem. Pro nobis enim stat in-
definita locutio, quæ pro universali habe-
tur, quamdiu nulla est restrictionis causa:
Quin è contrario tantum abest, ut hîc pos-
sit esse ulla restrictionis causa, ut potius res
ipsa, de quâ agitur, suadeat, parem hîc esse
omnium angelorum rationem. Extollitur
gra-

gratia illa salutaris, quæ nobis sub N. T. obvenit. Docetur, prophetas, quæ prædixerunt de passionibus Christi & superventurâ posthæc gloriâ, non administrâsse sibi, sed nobis, adeoque non vidisse ea, quæ nos sub N. T. videmus & audimus; quo facit locus Matth. XIII. 17. *Amen dico vobis*, inquit, *Christus, quòd multi prophetæ & justi desideraverint videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis & non audiverunt.* Ad eam extollendam quoque hoc adducit Apostolus, quòd etiam *angeli desiderent prospicere in ea, quæ annunciata sunt ab Apostolis*, adeoque quæ visa & audita sunt ab Apostolis. Hæc verò Eph. III. 9. dicuntur *mysterium absconditum ab ævo in Deo*, quod Apostolus dicitur in lucem produxisse, vers. 10. *ut notificetur nunc imperiis & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multifaria sapientia Dei*; sicque ostenditur, angelos per Ecclesiam demùm intelligere illam multifariam sapientiam Dei, quæ manifestatur in Ecclesiâ N. T. quatenus illis Deus manifestat, quæ in Ecclesiâ illa agit, eo demum tempore, quo illa agit. Si igitur quidam hîc angeli sint excipiendi, vel dicendum erit, quòd ex eorum numero quidam sint, qui citra revelationem Dei mysterium divinum & ejus absconditum

consilium penetrant, quod in creaturam cadere non posse ex superius dictis satis potest patere, vel, quòd quidam angeli non sint proclives ad ea cognoscenda; unde sequetur, quosdam angelos non gaudere celebratione nominis Dei & gloriæ ipsius, quâ si gauderent, cuperent quoque cognoscere ea, ex quibus gloria sapientiæ Dei multifariæ patescit, quod in sanctos & bonos angelos utique cadere non potest, de quibus hæc verba intelligi oportere manifestum puto. Video equidem annotatum in illo tractatu per asteriscum * *Fortasse nodus iste minus duritèr solvetur, si per* Angelos *impuros spiritus intelligamus. Quâ significatione eos appellatos invenias Rom.* 8. 38. 1 *Cor.* 4. 9. *nec non* 2 *Pet.* 2. 4. *Iud. vers.* 6. *Et sic in eo cum authoris responsione convenient, quòd vocem* Angeli *non de omnibus in universum Angelis, sed de certo tantùm eorum genere, malorum puta, accipiamus*; sed qui hæc annotavit vix videtur intellexisse quid scriberet. An enim ea, quæ hîc dicuntur, possunt cadere in malos angelos? Mali angeli cum in sacris literis describantur tanquam adversarii regni Dei, tantum abest ut cupiant cognoscere multifariam sapientiam Dei, quæ manifestatur in Ecclesiâ per regni divini promotionem, ut potius ni-

nihil ingratius sit illis istâ cognitione, potestque de illâ idem dici, quod dicit Apostolus Jacobus de cognitione Dei, quam habent Diaboli Jac. II. 19. *Tu credis, quòd Deus unus sit: etiam Diaboli credunt & horrent.* At hi angeli, de quibus loquitur Petrus, delectantur cognitione istius sapientiæ divinæ, cupiunt introspicere in eam, gaudent, si à Deo adhibeantur ut ministri, qui illi sapientiæ divinæ multifariæ inserviant, quod faciunt, dum ministerium suum exsequuntur circa eos, qui sunt hæreditaturi salutem, aliisque modis nobis ignotis.

XXVIII. Sequitur alterum, quod sibi objici posse putat 1 Cor. 12. *unum dici Spiritum*, ad quod responderi posse censet 1. *Collectivè ibi sumi vocabulum Spiritus. Quale enim est corpus, talis est Spiritus. Ita tota civitas vel gens aut Respub. una dicitur, vel quia ab uno eodemque capite regitur, vel quia concordia una est, de quâ unitate aliàs multa disseruimus. Sicut itaque civitas, quæ ex multis personis subsistentibus constans unum totum constituit, non immeritò unum corpus dici potest, quid itaque vetet, quo minus majori etiam jure civitas cælestis Hierosolyma, quæ est Spirituum Sanctorum cætus vel Ecclesia, unus Spiritus dicatur.*

Ve-

Verum ex his, ut & aliis istius auctoris apparet, non didicisse ipsum distinguere operationes creaturarum ab operatione Dei, nec fortè distinctam unquam habuisse cogitationem de operatione Dei, quam si formare discat, videbit tales operationes non posse cadere in angelos, qui sunt meræ creaturæ. Operationes autem illæ, de quibus illo in loco est sermo, tales sunt, ut sint efficaciæ planè divinæ, uti §. 22. & alibi ostendimus. Non possunt ergo isto in loco per Spiritum intelligi angeli. Quod etiam ex collatione vers. 4, 5 & 6. cum vers. 11. apparet. Nam quæ vers. 4, 5, & 6. nomine χαρισμάτων assignantur Sp. Sancto, nomine διακονιῶν Domino, nempe J. Christo, qui in oppositione reliquarum personarum solet sub N. Test. voce Κυρίου Domini denotari, nomine ἐνεργημάτων Deo, scilicet Patri, ea omnia vers. 11. adscribuntur Spiritui Sancto, ut sic ostendatur, Sp. Sanctum esse Deum, cujus operatio adeoque essentia eadem sit cum essentiâ Patris & Filii. Similitudines adductæ parum juvare possunt ejus causam. Quando gens, Respublica, civitas una dicitur, cùm vocabula ista suâ naturâ & vi sint collectiva, res loquitur ipsa, unitatem istam non debere alitèr explicari, quàm ut conveniat corpori, quod

ex

ex multis membris congregatis constat, cujusmodi est, *quod ab uno capite regatur, vel quia concordia una est*, sed vocabulum *spiritus* per se & suâ naturâ non magis est collectivum quàm *homo*, *Sol*, *Rex*. Sicut ergo, si dicatur varias esse generationes in terrâ, aliam quâ producuntur plantæ, aliam quâ arbores, aliam quâ vermes &c. sed istas omnes producere unum solem, nemo putabit, hîc vocem solis collectivè accipi, sed unicum & singulare illud splendidissimum sidus intelliget, quod nomine solis venire solet; & sicut, si dicatur, varia esse in regno collegia, aliud Medicorum, aliud Pastorum, aliud consiliariorum &c. sed tamen omnia illa gubernare unum Regem, nemo putabit, vocabulum Regis collectivè posse accipi, quia vocabula ista suâ naturâ & valore non sunt collectiva, ita nec hîc istiusmodi sententia circa vocem Spiritus locum habere potest. Si vox Spiritus vel hominis aliquando collectivè accipiatur, hoc non fit ex naturâ vocis ejusque proprietate, sed ea tunc à propriâ significatione transfertur ad impropriam, quod circumstantiæ locutionis requirunt; quales hîc nullæ sunt, quæ id suadeant, quin è contrario sunt, quæ id planè dissuadent. Si in antecedentibus sermo esset *de Spirituum Sanctorum* h.e. sancto-

rum

rum angelorum *cœtu vel Ecclesiâ*, prout ipse hîc amat loqui, & postea subjungeretur, *hanc esse unum spiritum*, possemus concedere, vocabulum spiritus impropriè, adeoque in sensu collectivo debere accipi; cujus rèi ne γρυ quidem in hoc capite reperitur, sed omnia contraria. 2. inquit: *Reddit Apostolus rationem, cur nemo loquens per Spiritum Sanctum Iesum possit dicere anathema, quia scilicet Spiritus sibi non sit contrarius.* Quid verò inde vult conficere? an hinc sequitur, vocabulum *Spiritus* in isto loco sumi collectivè? an non potius inde colligendum, Spiritum Sanctum esse unam eandemque personam divinam, quæ sibi ipsi non potest esse contraria; cùm absolutè non repugnet, ut angeli sibi sint contrarii, sicut ex contrarietate malorum & bonorum angelorum apparet, repugnet verò absolutè, ut persona divina sibi sit contraria. 3. *Resp. cum verbis Ignatii in fine cap. sequ. allegandis*, quæ mox videbimus.

XXIX. Tertium, quod sibi objici posse existimat *ex eodem capite est: at sunt divisiones donorum*; putat verò, *ad hoc respondere Apostolum*, pro se nempe & suâ Opinione, *non dari sapientiam per unum, fidem per alium, gratiam sanitatum per alium, sed unum eundemque Spiritum vel angelum efficere hæc omnia,*

omnia, quorum tamen numero plures sunt, sicut nec corpus est unum membrum, sed multa. Confer. Ephes. 4. ubi uti unitas in corpore intelligitur mystica, sic etiam unitas Spiritus. Nos verò mentem Apostoli planè aliam esse in superioribus ostendimus, & probavimus, per Spiritum isto in loco non intelligi angelum, nec posse vocabulum Spiritus in sensu collectivo accipi, cùm circumstantiæ textus id non requirant, imò ne quidem permittant. Ad Eph. 4: 4. fatemur, *unitatem in corpore intelligi mysticam*, non repugnamus etiam, quin *unitas Spiritus sit mystica*; sed inde non sequitur, *Spiritus* vocabulum designare multitudinem angelorum. Corpus Christi dicitur mysticum, quâtenus non est existimandum, omnes eos qui externè profitentur veram fidem, esse verè fideles, sed eos demum esse tales, qui intrinsecus fide salutari sunt animati, quæ per externum adspectum non potest cognosci; & propterea dicitur unitas fidei esse mystica, quia ista fides in occulto latet, nec cognoscitur, nisi à spiritu hominis & spiritu Dei, qui in corde latet, & operatur fidem salvificam in omnibus verè credentibus. Subjungit his testimonium Ignatii ante promissum. *Concludo cum Ignatio ad Philadelph. qui ait:* Quemadmodum Pseudoprophetæ

&

& Pseudoapostoli unum & eundem Spiritum malum, fallacem & populi seductorem acceperunt: sic & Prophetæ & Apostoli unum & eundem Spiritum Sanctum, bonum, eximium, verum, & doctorem, & rectum acceperunt. *Quia itaque nihil obstat maxima multitudo Spirituum malorum, fallacium & populi seductorum, quo minus omnes illi dicantur unus & idem Spiritus malus, fallax & populi seductor: eâdem vel majori certè ratione unus idemque dici potest Spiritus S. bonus, eximius, verus, doctor, rectus non obstante maximâ multitudine Spirituum Sanctorum, bonorum, eximiorum, doctorum & rectorum.* Nolo hîc controversiam movere de Ignatii epistolis, de quibus ultro citroque à viris doctis disputatum fuit, tantùm dico, locum illum citatum ex Ignatio pro Auctore Problematis nihil facere posse. Nam primùm non est necesse, ut per Spiritum malum intelligamus multitudinem Spirituum malorum; possumus per illum intelligere principem dæmoniorum, qui & ipse varios Pseudo-Prophetas & Pseudo-Apostolos potuit agitare, &, quod non fecit ipse, potest fecisse per suos angelos tanquam satellites. Dein, etsi antecedens intelligeremus collectivè, id requirente forte naturâ rei, non tamen similitèr

tèr consequens est accipiendum, quòd oppositio possit consistere, si unus Sp. Sanctus quoad personalitatem opponatur pluribus angelis malis. Quòd autem Ignatius per Sp. S. unam intellexerit personam, docent planè seqq. apud Ignatium: *Unus enim Deus Veteris & N. Testamenti; Unus & Mediator Dei & hominum .... Unus quoque & Paracletus, qui operabatur in Moyse & Prophetis & Apostolis.* Unde æquo saltem jure, si non majori, ac ille, potero colligere: si nihil obstat, imò si necessarium est, ut per unum Deum V. & N. Testamenti intelligam unam personam, & per unum Mediatorem similitèr unam personam, eâdem ratione paracletus poterit dici una persona. Sic ergo vel Ignatius obest auctori nostro, vel saltem nihil prodest. Atque ex his apparet, argumenta, quæ sibi proposuit Auctor problematis refutanda, firmo stare adhuc talo, quibus si adjungat ea, quibus probatum est, Spiritum Dei, qui persona est, constantèr ex stylo Scripturæ designare Deum supremum & æternum, apparebit, non Angelum nec Angelicum cœtum, per Spiritum Sanctum posse designari.

XXX. Possunt hæc sufficere cuilibet, qui fidem suam non in auctoritate humanâ, sed in solâ divinâ stabilitam velit. Si Scri-

ptura repugnet huic paradoxo, nihil juvabit illud consentiens omnium & singulorum Patrum auctoritas. Cadunt errores etiam in eos, qui proximi sunt Apostolis. Papias Hierapolitanus Episcopus, qui Eusebio lib. 2. Johannis Apostoli dicitur fuisse auditor, eidem Eusebio lib. 3. c. 36. Eccl. hist. narratur, *tanquàm ex vivâ traditione ad se relatâ, & peregrinas quasdam Servatoris parabolas, & doctrinas cum aliis nonnullis fabulosis adjecisse.* Consensus Patrum etiam Ante-Nicænorum potest in errore esse. Id jam sæpius à nostris probatum est, nos actum agere nolumus. Sic de millenario regno, quo Christus corporalitèr in his terris sit regnaturus, maximus fuit Patrum consensus; consenserunt item quamplurimi ex Patribus in illâ sententiâ, quòd justorum animæ ante diem judicii Dei visione non fruantur, & sic de aliis, de quibus videri potest Riveti Criticus sacer & Dalæus de Usu Patrum, Blondellus de Sibyllis, aliique. Quia tamen petiit Auctor, sibi ostendi Patres Ante-Nicænos, qui senserunt Sp. S. esse unam personam, volui in ipsius gratiam quosdam adducere. Clemens Romanus in epistolâ ad Corinthios pag. 60. *Cur inter nos sunt contentiones, iræ, simultates, schismata & bellum? Nonne unum Deum & unum Chri-*

Christum habemus? nonne unus est Sp. gratiæ, qui super nos effusus est, & una vocatio in Christo? Dicit hîc, *unum Spiritum gratiæ* nos habere, ſicut habemus *unum Deum & unum Christum*: atqui unus Deus, Pater nempe, eſt una perſona, unus Chriſtus eſt una perſona: ſic igitur etiam una perſona eſt dicenda unus Spiritus. Et cùm diſcipulus Pauli Apoſtoli fuerit, non dubitari poteſt, quin unum Spiritum intelligat eodem ſenſu, quo illum intelligi ab Apoſtolo Paulo oſtendimus 1 Corinth. XII, hoc eſt, unam perſonam divinam, quæ ejuſdem ſit dignitatis & potentiæ, cujus eſt Pater & Filius. Appellatio etiam *Spiritus gratiæ* prohibet, ne per eum intelligamus angelos. Spiritus enim gratiæ eſt auctor fidei, qui eſt effectus primus vocationis in Chriſto: at fides eſt Dei donum, eſtque ideo auctor fidei Deus; quod etiam liquet, quoniam illud donum pertinet ad Creationem ſecundam, quam à divinâ potentiâ fieri non minus docet ſcriptura, quàm de Creatione primâ. Et cùm ab illâ unitate argumentum ſumat ad tollendum diſſidium, quod erat exortum inter Corinthios, non potuit per Spiritum gratiæ intelligere angelos; ſic enim nervus huic argumento plane eſſet inciſus, cùm dici poſſet à Corinthiis, ſe à diver-

ſis angelis ductos & rectos non poſſe in unam eandemque voluntatem conſentire; qui nervus firmiſſimus eſt, ſi per unum Spiritum intelligamus unam perſonam, ſicut per unum Deum & unum Chriſtum unam perſonam ſignificari eſt neceſſum. Manifeſtus valdè eſt locus contra hanc Auctoris opinionem apud Juſtinum Apologiâ 2. pag. mihi editionis nempe Comelianæ 34. Καὶ ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου καὶ πατρὸς δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτου τε κακίας Θεοῦ. ἀλλ' ἐκεῖνόν τε καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν στρατὸν, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες, καὶ παντὶ βουλομένῳ μαθεῖν, ὡς ἐδιδάχθημεν, ἀφθόνως παραδιδόντες. *Et profitemur quidem, nos talium, qui habentur, deorum expertes eſſe, & atheos, ſed non veriſſimi illius Dei, Patris videlicet juſtitiæ & caſtitatis, & virtutum aliarum, & ab omni vitioſitatis & labis mixtione alieni, expertes. Verum hunc ipſum, & qui ab eo venit, atque iſta nos, & aliorum obſequentium exæquatorumque bonorum angelorum exercitum docuit, Filium & Spiritum propheticum colimus & adoramus; cum ratione & veritate venerantes, atque unicuique diſcere atque noſſe ve-*

volenti, pro eo atque edocti sumus, candidè hac tradentes. Ubi angeli boni cum fidelibus conjunguntur, atque opponuntur utrique Deo Patri, Filio & Spiritui prophetico, tanquam ab ipso edocti; unde Spiritus S. qui est Spiritus propheticus, non est angelorum chorus; quod & inde manifestum, quia fideles dicuntur æquè colere & adorare Filium & Spiritum propheticum, ac Patrem; qui propterea cum Patre ejusdem dignitatis & essentiæ sunt censendi. Cum his conveniunt quæ legimus pag. 24. *Super eo, qui renascendum sibi esse statuerit, atque per pœnitentiam ab admissis delictis resipuerit, Parentis rerum omnium & Domini Dei nomen nominatur, atque id ipsum solum lavaturum istum ad lavacrum ducentes invocamus. . . . . . . In nomine autem etiam Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, atque in nomine Sp. Sancti, qui per sacros vates prænunciavit res Christi omnes, abluitur is, qui illuminatur.* Ex quibus apparet sub nomine Parentis rerum omnium & Domini Dei etiam comprehendi Jesum Christum & Sp. Sanctum. Jungamus Athenagoræ dictum in Apologiâ ad Antoninum Imperatorem, non multum ab initio, ubi postquam ostendisset, Christianos prædicare unum Deum, Dei Filium, qui sit in Patre & Pa-

ter in Filio, per unionem & potentiam Spiritus, de illo Spiritu porrò dicit: *Quanquam & ipsum Spiritum Sanctum, agentem in illis, qui Propheticos sermones fundunt, ita à Deo emanare ab ipsoque reflecti dicimus, ut missi à sole radii reciprocant.* His jam subjungit: *Quis igitur non miretur, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut & unionis eorum vim, & ordinis distinctionem exponamus, impios & sine Deo homines vocari? Neque tamen intra hunc finem nostra de divinis essentiis professio continetur: sed etiam magnum numerum Angelorum & ministrorum Dei esse fatemur: quos opifex & architectus mundi Deus verbo suo tanquam in classes ordinavit, ut elementa, cælos, mundum, & quæ in mundo sunt, vicesque & ordinem moderarentur.* Postea ultra medium Apologiæ: *Quippe ut Deum asserimus, & Filium ipsius Verbum, & Spiritum Sanctum, unita quidem secundum potentiam, Patrem Filium & Spiritum. Filius enim Patris mens, Verbum & Sapientia est, & Spiritus ejus emanatio* ἀπόῤῥοια, *ut lumen ab igne. Sic & alias quasdam potestates esse cognoscimus, quæ vel circa materiam vel intra eam versantur.* Ex quibus omnibus clarè satis apparet, eum Patrem, Filium & Sp. Sanctum in digni-

gnitate & potentiâ planè conjungere & à potentiis sive angelis creatis distinguere.

XXXI. Sequatur Irenæus lib. I. cap. 2. adversus hæreses Valentini, ubi confessionem fidei Catholicæ Ecclesiæ edit. *Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem Omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & in unum I Christum filium Dei, incarnatum pro nostrâ salute, & in Sp. S., qui per prophetas prædicavit dispositiones Dei & adventum &c.* Equidem non dubito, quin hic Sanctus Martyr eodem sensu acceperit hanc fidem in Sp. Sanctum, quo sumitur in Symbolo, quod Apostolorum vocatur, ubi dùm dicimur credere in Spiritum Sanctum, nemo unquam ante hos homines natos per illum cœtum Angelorum intellexit. Nec potuit aliud quid intelligere per Spiritum Sanctum Irenæus, quàm personam unicam divinam, quæ Objectum fidei nostræ esse potest, cùm in Angelos non jubeamur credere, imò è contrario graviter nobis prohibeatur, ne fiduciam in ullâ creaturâ ponamus Jer. XVII., prout in superioribus plenius ostendimus. Audiamus etiam Clement.

Alexandrimum lib. 3. pædagogi cap. 12, in fine, ubi sic precatur: *Ut laudemus solum Patrem & Filium, Filium & Patrem pædagogum & magistrum, unà cum Sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est quod semper est, cujus membra sunt omnes, cujus sunt gloria & secula, qui est undiquâque bonus, undiquâque pulcher, undiquâque sapiens, undiquâque justus, cui gloria nunc & in secula, Amen.* Vides Filium & Sp. Sanctum Patri adæquatos in omnibus, eâdem gloriâ dignos, easdem perfectiones obtinentes, & per consequens, Sp. Sanctum æternum Deum esse, non angelum nec angelorum chorum. Tertullianus quoque ea dicit de Spiritu Sancto, quæ evincunt illum esse Deum. Ita in libro de præscriptionibus adversus hæreticos cap. 13. *Regula est autem fidei, ut jam hinc quid credamus profiteamur, illa scilicet quâ creditur: Unum omninò Deum esse, nec alium præter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit per verbum suum primò omnium emissum: Id Verbum filium ejus appellatum, in nomine Dei variè visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex Spiritu Dei Patris & virtute in virginem Mariam, carnem factum*

ctum in utero ejus, & ex eâ natum hominem & esse I. Christum. Dum enim dicit *Verbum, Filium Dei, delatum ex Spiritu Dei Patris & virtute in virginem Mariam*, significat, Spiritum Dei suâ virtute univisse illud Verbum in Virginis Mariæ utero cum carne sive humanâ naturâ, & sic natum ex Mariâ hominem, quod procul dubio opus ejusmodi est, ut virtutem & vim creaturæ planè superet; unde per Sp. S. non angelos sed Deum necesse est intellexisse. Quis enim sibi persuadeat, à voluntate angeli vel angelorum pependisse, ut Filius Dei fieret homo, quod hîc à Tertulliano virtuti adeoque voluntati Sp. S. adscribitur. Et paulò post: J. Christum *in cælos ereptum sedere ad dexteram Patris: misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat*; quibus verbis manifestè respicit ad historiam festi Pentecostes, in quo sanè non angeli, sed Spiritus, qui est Deus, implevit Apostolos, & corda ipsorum formavit atque immutavit. Idem adversus Praxean cap. 2. *Sed salvâ istâ præscriptione, utique tamen propter instructionem & munitionem quorundam, dandus est etiam retractatibus locus: vel ne videatur unaquaque perversitas, non examinata, sed prædicata damnari, maximè hac, quæ se existimat meram veritatem possi-*

dere, dum unicum Deum non aliàs putat credendum, quàm si ipsum, eundemque & Patrem & Filium & Sp. Sanctum dicat: quasi non sic quoque unus sit omnia, per substantiæ unitatem & nihilominus custodiatur οἰκονομίας Sacramentum, quæ unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu: nec substantiâ, sed formâ: nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ & unius status, & unius potestatis: quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species, in nomine Patris, Filii & Sp. Sancti deputantur. Ubi dum docet, Patrem, Filium & Sp. Sanctum esse unius substantiæ, quia sint unus Deus, satis patet, eum Sp. S. non pro angelo vel angelis, sed pro vero & supremo Deo agnovisse. Item cap. 8. *Protulit Deus sermonem, quemadmodum etiam Paracletus docet: sicut radix fruticem, & fons fluvium & sol radium. Nam & istæ species probolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim filium dicere, & radicis fruticem, & fontis fluvium & solis radium: quia omnis origo parens est: & omne, quod ex origine profertur, progenies est: multò magis sermo Dei, qui etiam propriè nomen filii accepit: nec frutex tamen à radice, nec fluvius à fonte, nec radius à sole discernitur, sic-*

ut nec à Deo sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam profiteor me duos dicere, Deum & sermonem ejus, Patrem & Filium ipsius. Nam & radix & frutex duæ res sunt, sed conjunctæ. Et fons & flumen duæ species sunt, sed indivisæ. Et sol & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est, de quo prodit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus à Deo & Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice. Et tertius à fonte rivus ex flumine. Et tertius à sole, apex ex radio. Nihil tamen à matrice alienatur, à quâ proprietates suas ducit. Ita trinitas per consertos & connexos gradus à Patre decurrens & monarchiæ nihil obstrepit; & οἰκονομίας statum protegit. Ex quibus apparet iterum, Spiritum Sanctum ita ab ipso censeri prodire ex Patre, ut non alienetur ab ipso, sed ut eandem essentiam possideat: at angeli planè alieni sunt à divinâ essentiâ, habentes essentiam creatam & dependentem, cùm divina sit infinita & independens.

XXXII. Origenes in hanc rem clarus est homil. 8. in Exodum: *Sciendum tamen est, quod cùm decreveris præcepti ejus servare mandatum, & omnes cæteros deos & dominos repudiare, & præter unum Deum &*

& Dominum neminem habere vel Deum vel Dominum, hoc est bellum sine fœdere denunciâsse omnibus cæteris. Cùm ergo venimus ad gratiam baptismi universis aliis diis & dominis renunciantes solum confitemur Deum Patrem & Filium & Sp. Sanctum. Sed hoc confitentes nisi toto corde diligamus Dominum Deum nostrum, & totâ animâ & totâ virtute adhæreamus ipsi, non sumus effecti pars Domini. Sed velut in confinio quodam positi, & illos offensos patimur, quos refugimus, & Dominum, ad quem confugimus, propitium non efficimus, quem non ex toto & integro corde diligimus. Opponit enim ibi Sp. S. dictis diis gentilium, in quorum numero erant angeli, habet illum unà cum Patre & Filio pro uno Deo & Domino, huic applicat præceptum legis de diligendo Deum ex totâ animâ & ex toto corde. Idem in epist. ad Romanos lib. 7. initio: *sicut enim multi sunt filii Dei, ut Scriptura dicit: ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes: unus tamen est naturâ Filius & unigenitus de Patre, per quem omnes Filii appellantur: ita & spiritus quidem sunt multi, sed unus est, qui verè ex ipso Deo procedit, & cæteris omnibus vocabuli ac sanctificationis suæ gratiam donat. Quòd autem plures sunt spiritus, declarat idem Apostolus ad Hebræos scribens & dicens: Non omnes*

sunt

sunt ministeriales Spiritus ad ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Ubi Spiritum Sanctum ab angelis manifestè distinguit, non secus ac filii Dei ex gratiâ ab illo, qui naturâ est Filius Dei, distinguuntur; illum ex Deo procedere, & his donare sanctificationis suæ gratiam; illum ergo pro independenti habet, hos pro dependentibus; illum ut Dominum considerat, hos ut ministros: negat ergo apertissimè, Sp. S. esse habendum pro angelorum universitate. Eodem lib. 7. in cap. 9. ad Rom. Trinitatem in Deo, in Christo, in Sp. Sancto consistentem ab angelis capi posse negat, quod utique fieri posset, si angeli essent Sp. Sanctus; sic enim ipsam Trinitatem tanquam tertia persona complerent: *Vide tamen magnitudinem pectoris apostolici, à Dei charitate non potest separari. Quod loquor, in Christo loquor: quod in conscientiâ habet, in Sp. S. continetur. Qui quæso cæli, qui throni, quæ amplissima virtutum cælestium mentes, tam amplis sedibus totam poterunt capere trinitatem?* Et paulo post: *Et miror, quomodo quidam legentes, quod idem Apostolus in aliis dicit: Unus Deus Pater, ex quo omnia, & unus Dominus I. Christus per quem omnia, negent Filium Dei Deum debere profiteri, ne duos Deos dicere*

vi-

videantur. Et quid de hoc loco Apostoli facient, in quo aperte Christus super omnia Deus esse perscribitur? Sed non advertunt, qui hæc ita sentiunt, quod sicut Dominum Iesum Christum non ita unum esse Deum dixit, ut ex hoc Deus Pater non Dominus dicatur, ita & Deum Patrem non dixit ita esse unum Deum, ut Deus Filius non credatur. Vera est enim Scriptura, quæ dicit: Scitote quoniam Dominus ipse est Deus. Vnus autem uterque est Deus, quia non est aliud Filio divinitatis initium, quàm Pater: sed ipsius unius paterni fontis (sicut sapientia dicit) purissima est emanatio filius. Est ergo Christus Deus super omnia. Quæ omnia? illa sine dubio, quæ & paulo ante diximus: super principatus, & potestates, & virtutes, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Qui autem super omnes est, super se neminem habet. Non enim post Patrem ipse, sed de Patre. Hoc autem (id est sapientia Dei) etiam de Sancto Spiritu intelligi debet, ubi dicit: Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Et qui continet omnia scientiam habet vocis. Si ergo Filius Dei super omnes dicitur, & Spiritus Sanctus continere omnia memoratur, Deus autem Pater est, ex quo omnia, evidentèr ostenditur natura Trinitatis, & substantia una, quæ est super omnia.

Ex

Ex quibus iterum manifestè patet, Origenem habuisse Spiritum S. pro summo Deo. Nam de Filio dicit, quòd sit super omnia, super principatus & potestates & virtutes, hoc est, super angelos etiam; item quod super se neminem habet. Idem dicit, de Spiritu Sancto intelligendum: Ergo ipsi Sp. Sanctus est super omnia, adeoque super angelos, & Spiritus Sanctus super se neminem habet. Non ergo habuit Sp. S. pro angelorum universitate, sed pro supremo Deo, quod quoque in seqq. clarius asserit, dum Trinitatis, quam in Patre, Pilio & Spiritu Sancto constituit, unam dicit substantiam. Sed non opus est multis. Quid Ecclesia Vetus ante Concilium Nicænum de Sp. Sancto crediderit discere licet ex formulâ in gratiarum actionibus receptâ, de quâ tanquam suis temporibus antiquiori testatur Dionysius Alexandrinus apud Basilium lib. de Spiritu Sancto cap. 29. his verbis: *His omnibus consequentèr & nos formâ sanè ac regulâ à presbyteris, qui ante nos fuerunt, transsumtâ, & concordibus cum ipsis vocibus gratias agere, & nunc etiam vobis scribere desinemus, Deo Patri & Filio Domino nostro I. Christo cum Sancto Spiritu gloria & imperium in secula seculorum Amen.* Quæ sanè manifestè evin-

vincunt, Ecclesiam antiquam non Sp. Sanctum pro cœtu angelorum, sed pro æterno Deo ejusdem cum Patre & Filio dignitatis & essentiæ agnovisse.

XXXIII. Sed antequam hinc discedamus operæ pretium videtur conferre, quæ Auctor problematis §. XIX. ex antiquitate adduxit ad suam sententiam stabiliendam. Primum petit ex Ignatio, quando scribit ep. ad Philadelph. *Bona sunt administratoria virtutes Dei Spiritus ille Sanctus.* Quæ ex quâ editione citet non addit, dubito enim an sic legerit citra interpunctionem; saltem in exemplari edito à Vossio alitèr legitur: Καλοὶ μὲν οἱ ἱερεῖς, καὶ οἱ τοῦ λόγου διάκονοι· κρείσσων δὲ ὁ ἀρχιερεὺς, ὁ πεπιστευμένος τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ὃς μόνος πεπίστευται τὰ κρυπτὰ τοῦ Θεοῦ· καλαὶ αἱ λειτουργικαὶ τοῦ Θεοῦ δυνάμεις. Ἅγιος δὲ ὁ παράκλητος, καὶ ἅγιος ὁ λόγος, ὁ τοῦ Πατρὸς υἱὸς, δι' οὗ ὁ πατὴρ τὰ πάντα πεποίηκε, καὶ τῶν ὅλων προνοεῖ. Vetus Latina Versio, quam adjecit Vossius, sic habet: *Boni enim sunt sacerdotes & sermonis ministri: melior autem est Pontifex, cui credita sancta sanctorum; cui soli commissa sunt secreta Dei. Bona sunt etiam officia virtutis Dei; bonus quoque Spiritus Sanctus, qui est super omnia sancta sanctissimus & verbi minister.* Alitèr planè habent & Græca & Latina, quàm citata ab auctore. Utrinque distin-

distinguitur Sp. Sanctus, in Latinâ versione ab *officiis virtutis Dei*, in Græco à *potestatibus ministratoriis Dei.* Eadem interpunctio etiam observatur in versione, quæ à Vedelio est adjecta: *Bonæ sunt administratoriæ illæ virtutes Dei, Sanctus est Paracletus, & Sanctum illud Verbum filius Patris; per quem Pater fecit omnia, omnibusque providet.* Tantum ergo abest, ut hoc testimonium causam Auctoris juvare queat, ut potius obsit eidem quàm maximè. Et quid quæso, supposito jam, quòd Ignatius scripserit istas epistolas, certi dicemus de ipsius mente, ubi tantoperè variant, quæ sunt nomine ipsius edita? Vellem verò ut in reliquis auctoribus citandis designâsset loca, ubi hæc scripta habeantur. Ait Justinum Martyrem dicere Dial. cum Tryph. *Spiritus virtutes requieturas super eo.* Sic Dialogus totus perlegendus ei, qui judicare velit, an & quomodo id dixerit Justinus. Crediderim Auctorem respicere verba, quæ edit. Commelinianæ p. 245. reperio, quando Tryphon citatis verbis Es. XI. 2. quæ superius vidimus §. 11. sic interrogat: *Cùm Deum ipsum prius fuisse affirmes ac de consilio & voluntate Dei incarnatum, ex virgine hominem natum esse asseras: quomodo probari potest eum prius fuisse, qui per vir-*

tutes Sp. S., quas Verbum per Esaiam dinumerat, compleatur, perinde atque eis indiguisset? Respondet ad eam quæstionem Justinus: *Virtutes Spiritus, quæ recensitæ sunt, Verbum non ita super eum venisse ait, quasi indigus earum fuerit: sed quòd acquieturæ in illo essent, hoc est, in eo finem facturæ, ita ut in genere vestro non amplius more veteri prophetæ futuri essent.* Ex quibus planè apparet, non voluisse Justinum asserere, Spiritum esse Angelos, sed per virtutes Spiritus intelligere diversas operationes ejusdem Sp. Sancti, quamvis una numero persona sit Sp. Sanctus; varia enim operatur Sp. S. & respectu istarum variarum operationum variæ δυνάμεις Spiritui Sancto assignantur, prout didicimus ex 1 Cor. XII. superius §. 22. explicato. Istæ variæ virtutes sunt apud Esaiam *Sapientia & Intelligentia, Consilium & Robur, scientia & Timor Iehovæ*, quæ sunt effecta Spiritus S., demonstratio ejusdem virtutum, sive δυνάμεων, quæ omnes in Sp. S. una eademque sunt virtus & δύναμις, quæ ratione operationum sic variè distinguitur.

XXXIV. Tertius testis, quem pro suâ sententiâ adducit Auctor Problematis, est Clemens Alexandrinus, sed ex libro, de quo dubitari potest, an sit genuinus, cùm

ejus

ejus nec Eusebius nec Hieronymus ullam fecerint mentionem. Liber ille dicitur *Adumbrationes sive scholia* in epistolas Canonicas, quæ ex versione Cassiodori Latinè tantùm exstant in Bibliothecâ Patrum. Verba quæ citantur sic habent: *Beati*, inquit, *quoniam qui est ejus honoris & virtutis Dei Spiritus super vos requiescit. Hoc possessivum ejus & angelicum Spiritum significat*: ibidem: *Sicut enim apud Patrem consolator est pro nobis Dominus, sic etiam consolator est, quem Christus post assumtionem dignatus est mittere. Hæ namque primitivæ virtutes, ac primò creatæ, immobiles existentes secundùm substantiam, & cum subjectis angelis & archangelis, cum quibus vocantur æquivocè, diversas operationes efficiunt, sic etiam & Moyses Michaël Angeli virtutem, per vicinum sibi & infimum angelum vocat &c.* Ex quibus tamen ad summum hoc tantùm conficitur, scriptorem illum, quicunque fuerit, aliquando per Sp. intelligere angelos, sicque unum habebit testem eumque valdè dubium pro suâ sententiâ. Cui nos opponimus genuinum Clem. Alexandrinum lib. 3. pædagogi cap. 12. in fine, quem §. 29. citavimus, qui per Sp. Sanctum intelligit supremum & æternum Deum. Adjicit his Tertullianum, qui *lib. de præscript.* ait, *Chri-*

stum misisse. vicariam vim Spiritus Sancti (*ut & autorem libri de Trinitate editum sub Tertulliani nomine*) qui dicat *magnam vim Spiritus Sancti*: *Tales autem*, inquit Auctor problematis, *locutiones apud Latinæ linguæ autores pluralitatem & multitudinem denotant*. *Rhenanus scribit*, *Tertullianum* Spiritum S. *appellare* membra, pignora & instrumenta; *at Pamelius ea verba ad* angelos *refert*. Nos de illâ vicariâ vi Sp. Sancti jam egimus §. 29. *Magna vis Spiritus Sancti* quomodo dicatur in auctore libri de Trinitate, non possum dicere, cùm tædeat ob istam phrasin totum illum librum perlegere; addenda erant capita vel aliæ distinctionis notæ. Mihi tamen non videtur absonum, si magna vis Spiritus Sancti dicatur de multis Sp. S. donis, quæ collata sunt credentibus, ut non necesse sit hîc angelos intelligere. Nec Rhenanum, nec Pamelium possum pervolvere, ut ad ista citata respondeam, quę tamen non adeo prosunt auctori. Sed Auctor problematis eodem modo pergit citare Tertull. de Baptismo non indicato capite, quod est quartum: *Supervenit enim statim Spiritus de cælis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificata vim sanctificandi combibunt*. Sed hic nihil de angelis; vis illa sanctificandi, quas com-

combibunt aquæ, quando sanctificantur à Sp. S. sanè non sunt angeli, nec vis illa est physica, sed moralis tantùm, sive potius Sacramentalis. Quod verò postea dicitur: *Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interventum*, & cap. 5. *ne quis durius credat angelum Dei Sanctum aquis in salutem hominis temperandis adesse*, id fortè non necesse est ut putemus, Tertullianum eo sensu dixisse, quasi existimarit Spiritum Sanctum esse angelum, sed, quòd Spiritus Sanctus interventu angeli aquas sanctificet; si tamen omninò velis, illum Spiritum Sanctum dixisse angelum, non sententiæ Auctoris problematis consentit propterea, cùm hic per Sp. Sanctum non *Angelum* sed *Angelos* numero plurativo intelligat; & Angelus, qui Sp. Sanctus, non erit necessariò creatus, sed increatus, qualis etiam est Angelus fœderis & Angelus faciei Dei, de quo sæpe legimus sub V. T. & quales fuerunt duo angeli, qui descenderunt Sodomam ad Lothum liberandum, qui tamen Dominus fuerunt. Sic enim Gen. XIX. 18. *Et dixit Loth ad eos, ne quæso* אֲדֹנָי. quæ vox sic punctata constantèr denotat Deum; atque ita constantèr postea illi duo loquuntur ut Deus, idque in nu-

mero singulari vers. 21. & 22; & vers. 24. *Iehova* dicitur *à Iehova ex cœlis pluisse sulphur & ignem*, quod sanè non potest commodius intelligi, quàm si dicamus, illos duos angelos fuisse Jehovam, & unum illum ex 3. viris, qui apparuerant Abrahamo fuisse quoque Jehovam, qui absoluto colloquio cum Abrahamo discesserat Gen. XVIII. 33. & in cœlos ascendisse, atque sic ab illo Jehovâ pluisse Jehovam sulphur & ignem. Possunt enim duæ illæ personæ S. S. Trinitatis Filius & Sp. Sanctus appellari angeli, id est, nuncii, quia missi leguntur, solus Pater nunquam missus dicitur, nec mitti potest. Nihil ergo hucusque habuit Auctor problematis ex Tertulliano pro suâ sententiâ stabiliendâ.

XXXV. Progrediamur nunc cum ipso ad Origenem, qui hom. 6. Numer. inquit: *Non enim potest Spiritus Sanctus consortium pati & societatem Spiritus mali*, quod quomodo pro sententiâ Auctoris problematis faciat, non apparet. Non enim quandocunque fit oppositio inter Sp. Sanctum & Sp. malum necessariò per Sp. Sanctum est intelligendus angelus vi oppositionis. Etiam Deus opponitur Satanæ & sic Regnum Dei regno Satanæ. Et sanè in antecedentibus Origenes per Spiritum
Dei

Dei non intellexit angelos, & ne γρὺ quidam ejus significatus est in antecedentibus. Loquitur de Spiritu prophetico, qui cùm prius esset super Mose, postea etiam concessus fuit septuaginta senioribus. Ita Origenes in antecedd. *Sed hoc modo figuram mystici hujus sermonis adverte, quasi Moses & Spiritus, qui erat in Mose, clarissimi cujusdam luminis fuerit lucerna, ex quâ alias septuaginta lucernas accenderit Deus, ad quas ita principalis illius luminis splendor pervenerit, ut origo ipsa luminis nihil damni ex commercio derivationis acceperit. Et hoc modo piè intelligitur, quod Scriptum est: quia abstulit Dominus de spiritu Moysi & dedit Septuaginta Senioribus.* En Spiritum Mosis tanquam *lucernam clarissimi cujusdam luminis*! lumen istud clarissimum est persona Spiritus Sancti, lucerna est donum Spiritus Sancti, quod in Scripturis sæpe nomine Spiritus indicatur, dona similia concessa dicuntur LXX. Senioribus, nihil propterea imminuto dono, quod acceperat Moses. Quid hæc ad angelos?

XXXVI. Citat postea verba quædam Orig. ex hom. 11. ubi conqueri iterum debeo de nimiâ negligentiâ in citando, nec enim loco dicto illa leguntur. Dum verò

istam homiliam prelego, reperio quædam planè adversantia Auctori problematis, quæ hîc referre visum: *Puto ergo, quòd Sanctus Spiritus ita sanctus sit, ut non sit sanctificatus. Non enim ei extrinsecus & aliunde accessit sanctificatio, quæ ante non fuerat, sed semper fuit sanctus, nec initium Sanctitas ejus accepit. Similique modo de Patre & Filio intelligendum est. Sola enim Trinitatis substantia est, quæ non extrinsecus acceptâ sanctificatione, sed sui naturâ sit sancta. Omnis verò creatura vel dignatione Sancti Spiritus, vel meritorum ratione sanctificata sancta dicetur.* Quæ videat Auctor problematis, an cum suâ sententiâ, quæ Spiritum Sanctum pro angelis, adeoque creaturis habet, conciliare possit. Quicquid tamen sit de citatis ab Auctore, ubicunque illa habeantur, videamus, an multum juvent ipsius causam. *Magorum ministri angeli sunt refugæ, & Spiritus maligni, & dæmonia immunda. Nullus enim Sanctorum Spirituum obtemperat mago. Non potest invocare magus Michaëlem, non potest invocare Raphaëlem, neque Gabrielem. Qui Sancti Spiritus particeps factus est, ad immundos ultra Spiritus accedere non debet. Si enim invocaverit immundos Spiritus, Sanctus ab eo Spiritus refugit.* Quid verò ex his colligit Problematis Auctor? hoc nempe:

Adeo

Adeo quem nunc vocat Spiritum Sanctum, paulo ante pluralitèr vocaverat Spiritus Sanctos. Quid inde? Nemo negat, quin Angeli boni, cùm sint Spiritus, & sint Sancti, possint vocari in plurativo numero *Spiritus Sancti.* Sed de hoc non est quæstio, sed de eo: *An Spiritus Dei vel Spiritus Sanctus, quando in Scripturis commemoratur, & opponitur Patri & Filio, vel ab iis distinguitur tanquam persona, designet Angelorum genus?* Hoc non dixit Origenes, sed ejus contrarium planè, uti superius vidimus. Pergit Auctor Problematis: *In Esaiâ* Seraphim *idem Origenes fertur exposuisse* Spiritum Sanctum, *teste Haymone in Christ. rerum memoriâ lib. 6. cap. 3. sunt autem Baphim* (Seraphim puto scripsisse) *Spiritus creatus.* Sit hoc ita: non enim Haymo ad manus mihi est, quid inde? Seraphim sunt Spiritus creati, sunt angeli, possunt dici *Spiritus Sancti* in plurativo numero, atque ita Spiritus Sanctus, si voce Spiritus Sanctus tanquam collectivo velis uti. An inde sequetur, non esse alium Sp. Sanctum istorum omnium Dominum, qui Esaiæ locutus est, qui ipsum misit, qui jussit, ut faceret pinguescere cor populi Judaici &c. quem esse Spiritum illum Sanctum, qui à Patre & Filio quidem tanquam alia persona distingui-

 tur,

tur, sed tamen ita, ut idem cum ipsis sit substantia una, quod satis ostendit Paulus Apostolus Act. XXVIII. 25. Adhuc hæret in Origenis auctoritate, & citat homil. 1. Ezech. quæ plane ἀπροσδιόνυσα. Videamus illa: *Clausi erant cæli: & ad adventum Christi aperti sunt, ut reseratis illis veniret super eum Spiritus Sanctus in specie columbæ.* Hæc verba laudat Auctor problematis, sed omittit, quæ paulo post sequuntur, & è quibus mens antecedentium & consequentium patescit. Sic ergo immediatè subsequitur apud Origenem: *Neque enim poterat ad nos commeare, nisi primum ad suæ naturæ consortem* NB. *descendisset. Ascendit Iesus in altum, captivam duxit captivitatem, accepit dona in hominibus. Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia. Et ipse dedit alios apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, alios pastores & magistros in perfectionem sanctorum.* Jam demum sequuntur ea, quæ recitat Auctor problematis: *Aperti sunt cæli Non sufficit unum cælum aperiri: aperiuntur plurimi, ut descendant non ab uno, sed ab omnibus cælis angeli ad eos qui salvandi sunt. Angeli qui adscendebant & descendebant super filium hominis, & accesserunt ad eum & ministrabant ei.* Dum sic legebam priora Origenis verba & po-

posteriora, detruncatis illis intermediis, putabam primo adspectu, invenisse illum apud Origenem, quæ secum concordarent, sed ubi totum legebam contextum, suspicabar, quare illa voluerit detruncare. Ille enim Sp. Sanctus, qui in specie columbæ dicitur venisse super Christum, mox in omissis dicitur esse *consors naturæ Christi*, quod procul dubio eodem modo intelligendum est, quo supra vidimus ex Orig. hom. 11. in Numeros, Spiritum esse eodem modo Sanctum, quo est Pater & Filius, atque opponi creaturæ, quæ sanctificata dicitur. Cum verò secundâ vice considераret, apertos esse cœlos, agit demum de angelis, qui adscendebant & descendebant super filium hominis, qui ut in Scripturâ à Spiritu S. sub specie columbæ descendente distinguuntur; ita etiam ab Origene ut distincti considerantur. Pergamus ad librum 1. Origenis contra Celsum, ubi hæc lego juxta editionem Spenceri p.37. *Et Iesu quidem aperti sunt cœli, nemine, quantum è Scripturâ colligi potest, præter Iohannem vidente apertos. Servator autem discipulis prædixit futurum, ut cœlum aperiretur ipsis inspectantibus. Amen amen*, inquit, *dico vobis videbitis cœlum apertum & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium* ho-

hominis. Ex quibus apparet, falsum esse, quod dicit Auctor Problematis, *Origenem de Spiritu Sancto descendente super Christum in baptismo* explicare locum Joh. I. 51. *Videbitis cœlum apertum* &c. si scilicet id eo sensu accipiat, qui solus facere potest ad ipsius scopum, quasi angeli Dei adscendentes & descendentes super filium hominis sint idem, quod Spiritus Sanctus, qui in Baptismo Christi descendit sub specie columbæ. Sed Origenes duo diversa loca Scripturæ inter se invicem comparat, & ostendit, quod antea fuerat factum inspectante uno Johanne Baptistâ ut cœli aperirentur, postea futurum iterum inspectantibus discipulis; sed ad priorem aperturam dicit descendisse Sp. Sanctum, ad alteram verò dicit, descensuros esse angelos. Ex Origene laudat quoque Hom. 4. Luc. sed non majori cum successu, quàm antea. Verba, quæ commemorat, reperiuntur in fine homiliæ: *Usque hodie adventum Domini Salvatori Spiritus Iohannis virtusque pracedit. O magna mysteria Domini & dispensationis ejus. Angeli pracurrunt Iesum. Angeli quotidie aut ascendunt aut descendunt super salutem hominum in Christo Iesu.* Observat autem Auctor problematis, & inquit: *Spiritum verò Elia & Ioannis paulò ante scripsit fuisse*

fuisse Spiritum Sanctum, qui etiam fuerit in Christo, & qui supervenerit in Mariam; quibus reor significare velle, Origenem in antecedentibus per Spiritum Sanctum, qui in Eliâ & Johanne fuerit, intellexisse Angelos, quod planè secus se habet. Sic habent verba Origenis, ad quæ respicit: *Fuit in Heliâ virtus & Spiritus, sicut in omnibus prophetis, & secundum dispensationem corporis in ipso quoque Salvatore, de quo post paululum ad Mariam dicitur: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Spiritus ergo, qui fuerat in Iohanne, & virtus, quæ in illo erat, in hoc quoque apparuit. Ille translatus est, hic verò præcursor domini fuit.* In his sanè nihil est, quod nobis persuadeat, per Spiritum illum qui in Heliâ, in omnibus prophetis, in Johanne fuit, intelligi angelos. Dum verò in fine homiliæ dicit: *Angeli præcurrunt Iesum*, non hoc intelligendum est de Spiritu Johannis, sed de ipso Johanne, quem Malachias appellat angelum. Dicitur autem in numero plurativo, Angeli præcurrunt Jesum, ut respondeant antecedentia sequentibus: *Angeli ascendunt aut descendunt.*

XXXVII. Consideremus nunc ea, quæ ex Lactantio producit. Primum allegat ex

ex Lib. II. Instit. §. 9. sed leguntur §. 8. *Cum esset Deus ad excogitandum prudentissimus, ad faciendum solertissimus, antequam ordiretur hoc opus mundi: quoniam pleni & consummati boni fons in ipso erat, sicut est semper; ut ab eo bono tanquam rivus oriretur, longeque proflueret, produxit similem sui Spiritum, qui esset virtutibus Dei Patris praeditus.* His subjungit Auctor problematis, quae apud Lactantium, saltem in exemplari meo à Gallaeo edito, non exstant: *Postea autem multos genuit alios operum suorum ministros, quos Graeci ἀγγέλους nominant*, quae propterea unde habeat nescio; fortè ex Lib. IV. 6. quae postea allegati irrepserunt, quae nos subjungemus, antequam ad ea respondeamus: *Deus igitur machinator constitutorque rerum, sicuti in secundo libro diximus, antequam praeclarum hoc opus mundi adoriretur, sanctum, incorruptibilem Spiritum genuit, quem Filium nuncuparet. Et quamvis alios postea innumerabiles per ipsum creavisset, quos angelos dicimus, hunc tamen solum primogenitum divini nominis appellatione dignatus est, patriâ scilicet virtute ac majestate pollentem.* c. 8. *Quomodo igitur procreavit? Primum nec sciri à quoquam possunt, nec narrari opera divina; sed tamen sancta litterae*

teræ docent; in quibus cautum est illum Dei Filium Dei esse sermonem, sive etiam rationem; itemque cæteros angelos Dei spiritus esse. Nam sermo est spiritus cum voce aliquid significante prolatus. Sed tamen quoniam spiritus & sermo diversis partibus proferuntur, siquidem spiritus naribus, ore sermo procedit, magna inter hunc Dei filium, & cæteros angelos differentia est &c: Constat ex his, Lactantium per Spiritum Dei intellexisse Filium Dei, & ab eo distinguere alios Spiritus, quos angelos dicit, nullam verò mentionem facere Spiritus S. tanquam distincti à Patre & à Filio. Non putem tamen multum præsidii esse Auctori problematis in hoc scriptore; non enim dicit, Spiritum Dei esse angelos, sed angelos à Spiritu Dei manifestè distinguit. Sed Spiritum Sanctum in suis libris, qui exstant, nequidem nominat; & notat Scultetus Medul. Patrum P. I. p. 432. *quòd in epistolis ad Demetrianum, autore Hieronymo, Spiritus S. substantiam negavit, & errore Iudaico dixit, eum vel ad Patrem referri vel ad filium, & sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari.* Quod si etiam hunc patronum haberet Auctor problematis, non tamen multum in eo posset gloriari, qui ex gentili Christianus factus

non potuit eo usque emergere, quin multis erroribus adhuc scateret, quorum varios annotavit Scultetus Med. Theol. Patr. lib. x. cap. 12.

XXXVIII. Quos his nunc addit scriptores Ecclesiasticos, eos tanquam heterodoxos facile possemus hoc in negotio negligere. Talis est Eusebius Cæsareensis Episcopus, de cujus orthodoxiâ valdè dubitatur. Citat eum de Eccl. Theol. quod *ubi dixerat, Filium semper esse præsentem cum Patre suo, & deinde emissum à Patre venisse in mundum, subjungat*; secundùm eandem rationem Spiritus Sanctus semper adstans throno Dei, siquidem & myriades myriadum adstiterunt ei juxta Danielem. Missus etiam ille est; aliquando quidem in specie columbæ super filium hominis, aliquando verò super unumquemque Prophetarum & Apostolorum: propterea idem etiam ex Patre procedere vel egredi dicitur. *Deinde, probet ex sacris etiam diabolum, (quem vocat πνεῦμα ἐναντίον Spiritus contrarios) à Deo egressum esse, vel exiisse dici.* Sed non videmus, Eusebii verba necessariò sic exponenda, ut faveant sententiæ Auctoris problematis. Dicitur *Spiritus Sanctus semper adstare throno Dei secundùm eandem rationem, quâ Filius semper est præsens cum Patre suo.*

Æqui-

Æquiparatur ergo Filio, & ejusdem dignitatis atque essentiæ cum eo censetur, non igitur in angelorum ordinem potest redigi, quod etiam apparet ex Symbolo, quod ipsemet stante Synodo Nicænâ conscripsit, ubi dicit: *Credimus etiam in unum Spiritum Sanctum. Et istorum quemque esse & existere credimus: Patrem verè Patrem esse, Filium verè Filium, & Spiritum Sanctum verè Spiritum Sanctum.* Quando ergo dicit, *& myriades myriadum adstitisse ei juxta Danielem*, per id non denotat, illas myriades myriadum esse Spiritum Sanctum, cùm illæ expressè à Spiritu Sancto distinguantur, hic verò sic adstet throno Dei semper, sicut Filius semper est præsens cum Patre suo. Non intelligo, quare Auctorem operis imperfecti inter testes suos recenseat, cùm initio dixerit, se tantum consentientes adducturum Patres Ante-Nicænos: cùm enim Auctor ille operis imperfecti in Matthæum nomen Chrysostomi assumserit, saltem antiquior Chrysostomo non fuit, adeoque post Synodum Nicænam vixisse est censendus. Citat homil. 20. in quâ hæc verba nec in Græcâ editione, quæ Etonæ est impressa, nec in Latinâ Basileensi 1557. deprehendo: *Spiritus Sanctus vel Angeli.* E contrario in fine homiliæ hæc δοξολογία legitur

gitur: *Quæ omnibus nobis contingat assequi, gratiâ, & misericordiâ domini nostri Jesu Christi, per quem & cum quo Patri gloria simul & Spiritui Sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen*; in quâ Spiritus Sanctus non habetur pro angelis, quibus non est exhibenda gloria communis cum Patre & Filio, quæ hîc exhibetur Spiritui Sancto, cùm potius ipsi angeli unà cum hominibus istâ gloriâ debeant glorificare Deum, adeoque Patrem, Filium & Sp. S. eodem honore afficere. Neque etiam in hom. 47. nec juxta Græcam nec juxta Latinam editionem quicquam horum verborum reperio, quæ hîc laudat: *Tollam ex eâ pignora veritatis meæ*, id est, Spiritum Sanctum. Tandem, quid ultima §. 19. verba ad rem præsentem faciant, non capio: *Per Melchisedecum etiam aliqui intelligunt* Spiritum Sanctum, *ut Author quæst. Vet & Novi Test.* 109. *sub nomine Augustini statuit*, Melchisedecum esse Spiritum Sanctum, & esse sacerdotem, sed non summum: *alii* cœlestes angelos atque virtutes. *Utraque autem pars ex hypothesi nostrâ facillimo negotio conciliatur.* Nam an inde sequetur, Auctorem quæstionum V. & N. T. per Spiritum Sanctum intelligere angelos, si dicat, Melchisedecum esse Spiritum

tum Sanctum? quia alii per Melchisedecum intelligunt angelos. Quid, si & ego per Melchisedecum intelligerem Sp. Sanctum & alii intelligant per illum angelos; an inde sequetur, me Sp. Sanctum habere pro angelis, quia hæc est sententia Auctoris problematis, per quam hypothesin facile ego cum illo possim conciliari? Quis ferat ita argumentantem? Atqui, quod ego de me falsò supposui, id verè facit Auctor Quæst. V. & N. T. per Melchisedecum intelligit Sp. Sanctum. Sic ille circa finem 109. quæst. *Similis autem Dei Filio non potest esse, nisi sit ejusdem naturæ. Et quid incredibile videtur, si Melchisedech ut homo apparuit, cùm intelligatur tertia esse persona.* Et paulò post: *Similiter & Spiritus S. quasi antistes sacerdos appellatus est excelsi Dei, non summus, sicut nostri in oblatione præsumunt. Quia quamvis unius sit substantia Christus & Spiritus Sanctus, uniuscujusque tamen ordo observandus est.* Sed, uti apparet ex laudatis, per Spiritum Sanctum intelligit tertiam personam Trinitatis, ejusdem naturæ, cujus est Filius, qui sane non est in ordine Angelorum; an ergo dici poterit ullo jure, ipsum per Sp. Sanctum intelligere Angelos?

XXXIX. Sed ne conqueratur forte Au-

ctor problematis, à nobis quicquam esse omissum eorum, quæ ex antiquitate adduxit aliâ occasione, examinemus & illa quæ habet p. 7. si fortè putet, & hæc ad suam opinionem confirmandam quicquam facere posse. Sic ille p. 7. *Vox Spiritus Sancti, aut Spiritus Domini quandoque unum denotat individuum, aliquando individuum vagum.* Supponam, rectè citata esse quæ sequuntur, quamvis antehâc aliquando contrarium deprehenderim (neque enim res ista tanti esse videtur, ut otio meo in inquirendis & inspiciendis locis abuti debeam, nisi ubi id opus fuerit ad mentem auctorum deprehendendam.) Citat *Origenem vel quisquis alius potius Auctor* hom. 2. Cant. *tract.* prior. *Similis Spiritui ei, qui in specie descendebat columba audias, quia oculi tua columba sunt.* Hîc sanè non puto individuum vagum designari, sed unam personam, quæ tertia est in S. S. Trinitate. Sic verò idem ille hom. 3. initio: *Et ibi dicat esse oculos ejus columbarum: ut duorum oculorum columba duæ intelligantur esse filius & Spiritus Sanctus. Et ne mireris, si columba simul dicatur, cùm uterque similitèr advocatus dicatur.* Ex lib. 1. contra Celsum totum allegemus locum, qui legitur p. 34 & 35. edit. Cantabrigiensis 1658. *Quin & hodie vestigia*

stigia Spiritus illius Sancti, qui columbæ specie apparuit, servantur apud Christianos; excantantur dæmonia, multas sanationes perficiunt, prævident voluntate Dei futura. Irrideat licet Celsus quod dicetur, aut introductus ab eo Iudæus, dicetur tamen; multos penè invitos attractos esse ad Christianam religionem, Spiritu quodam repentè mutante intellectum eorum ab odio, quo erga Verbum detinebantur, ita ut ipsius gratiâ non cunctarentur mortem oppetere. Unde apparet, illum *quendam Spiritum* esse *Spiritum illum Sanctum, qui columbæ specie apparuit*, adeoque satis determinari ab Origene certam ejus personam, non individuum vagum designari. Citat postea ex lib. 3. contra Celsum ea verba, quæ paulò post principium p. 113. leguntur: Πῶς οὐχὶ ἐξ εἰκότον κατασκευάζεται τοῖς ἀπιστοῦσι ταῖς παραδόξοις ἱστορίαις καὶ προφητείαις, ὅτι τὰ τοιαῦτα οὐ πλάσματά ἐστιν, ἀλλά τι θεῖον πνεῦμα. *Quî fit ut isti, qui non dignantur historiarum & Prophetiarum miraculis credere, figmenta hæc putent potius, quàm divino Spiritu afflatas fuisse vatum illorum sanctissimas animas.* Ubi illud τι θεῖον πνεῦμα rectè putamus versum per *divino Spiritu*, ut non individuum vagum designetur, sed illa persona, quæ est tertia in S. S. Trinitate, unius ejusdemque essentiæ cum Patre & Filio, non minus ac p. 112. præ-

cedente initio l. 3. hæc verba in Objectione Celsi πιστευόντων μὲν ἀμφοτέρων ὅτι ἀπὸ θείου πνεύματος προεφητεύθη τις ἐπιδημήσων Σωτὴρ τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων, rectè sunt versa, *utrisque credentibus prænunciatum per afflatos divino Spiritu vates adventum Servatoris humani generis*, cùm in Græco sit τις Σωτὴρ, quod est ad verbum *aliquis servator*. Particula enim illa τις indefinitè sumta aliquando περιττεῖ & ornamenti causâ tantùm additur, uti de similibus Græcis particulis obtinere solet.

XL. Pergit Auctor Problematis p. 8. atque putat, vocem hanc *Spiritus Sancti sæpius usurpari pro septem Spiritibus principalibus*, *vel*, *ut videtur*, *pro omni Sanctorum Spirituum exercitu & multitudine*: ad quod probandum facere debet id, quod citat p. 10. ex Auctore, uti dicit, incomparabili Operis imperfecti homil. 30. (quæ tamen non reperi) *super te requiescent septem Spiritus Dei: septem dicuntur, quia ex illis septem omnes Spiritus virtutum procedunt*. Sed nos hujusmodi septem Spiritus principales nullos novimus ex sacris, in quibus etiam non putamus hoc reperiri significatum, ut *Spiritus S.* designet *omnem Sanctorum Spirituum exercitum & multitudinem*. Provocat ad *Origenem testantem*

in

in sacris numero plurali dici Spiritus Sanctos. Ad id adducit *lib.* 1. *in Esai. citante Pamphilo in Apolog. Tanti per singulos dicuntur Spiritus S., quanti sunt hi, qui habent in se Spiritum Sanctum. Hermas similit.* 9. *Virgines hæ, quæ sunt, Domine? Et dixit mihi, Hæ, inquit, Spiritus Sancti sunt.* Adducit etiam Orig. hom. 13. Numer. *Nullus Sanctorum Spirituum obtemperat Mago. Non potest invocare Magus Michuëlem, non potest invocare Magus Raphaëlem, neque Gabriëlem &c.* Ex quibus testimoniis fatemur constare, ab illis in numero plurali angelos dici Spiritus Sanctos, quod fieri posse non refragamur, sed id nihil facit ad rem præsentem. Sic fatemur, Lib. 9. cap. 14. in epist. ad Rom. in plurali mentionem fieri *Sanctorum Spirituum*; ad quod probandum etiam faciunt citata ex Lactantio Divin. Instit. lib. 4. 6. Eusebii Dem. Euang. 6. 16. De Eccles. Theol. 2. 20. & 3. 3. & ex Macario homil. 14. item ex eodem homil. 15. & hom. 22. & ex Didymo lib. 3. de Spiritu S. quæ videre potest lector apud Auctorem problematis p. 8. & 9. & 10. Quòd verò putet hæc conferenda cum Es. XI. 2. ἐπαναπαύσεται ἐπ' αὐτὸς πνεῦμα κυρίου. *Requiescet super eos Spiritus Domini* & 1 Pet. 4. 14. τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται:

παύε): *Dei Spiritus super vos requiescit*, quasi in illis locis Spiritus Dei denotet angelos Sanctos creatos, in eo toto cælo ab errat. Non dicam, quod in versione Græcâ non legatur ἐπ' αὐτὺς, sed ἐπ' αὐτὸν, quod & cum Hebræo fonte concordat, tantùm observo, Es. XI. 2. planè contrarium supra à nobis evictum, atque ostensum, Spiritum illum Domini non creaturam esse, sed ipsum Creatorem, atque operationes, quæ illic ipsi assignantur, planè divinas esse. Hinc quoque lux affulget 1 Pet. IV. 14. Spiritus enim ille idem Dei, qui requiescit super Christo, capite fidelium, ab hoc etiam cum fidelibus tanquam cum ipsius membris communicatur. Quod autem citat Origenem in epistolam ad Romanos in illud, *Habemus primitias Spiritus*, ita commentantem: *Quid ergo, sicut primitiæ areæ & primitiæ torcularis ejusdem liquoris est, cujus est torcular, itane & videbitur id quod dicit* Primitias Spiritus, *ex multis reliquis Spiritibus Sanctis & beatis unus aliquis esse præcipuus?* quasi sentiret, Spiritum Sanctum in illo loco ad Romanos denotare angelos, in eo an satis sincerè egerit meritò dubitari potest. Si enim inspiciatur contextus, apparet Origenem varias explicationes istius loci proponere;

ac primùm quidem hanc quam vidimus, quam interrogativè tantùm proponit, &, uti statim ostendit, planè rejicit. Altera est, *quòd cùm multi sint Spiritus ministeriales ministrantes in ministerio propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, sub quibus agens unusquisque credentium velut sub tutoribus & procuratoribus instruitur usque ad præfinitum tempus à Patre, id est, usque quo ad legitimam ætatem animæ perfectionis advenerit, ubi quis jam supergressus Spiritum servitutis, quem acceperat in timore, à quo velut pædagogo servaretur, dignus efficitur accipere Spiritum adoptionis, primitias Spiritus, per quem adoptatus in filium possit primitivorum ecclesiæ, quæ in cælis est, sociari, ita multum differt* NB. *à ministerialibus Spiritibus Spiritus Sanctus, cujus primitias Paulus cum suis similibus habere se dicit.* De hâc autem interpretatione subjungit: *Unus hic modus sit quo sermonis hujus intelligentiam potuimus indagare* : unde apparet, priorem expositionem susque deque habere. Alius modus exponendi plenius in seqq. ab ipso deducitur, cujus summam his comprehendit verbis: *Dona ergo diversa Spiritus à Paulo multi Spiritus appellantur. Horum autem & multorum donorum quicquid est summum & magnum*

sine dubio Apostoli consecuti sunt, ut idonei essent, (sicut & ipse Paulus dicit) ministri Novi Testamenti, & ut repleri possint euangelio ab Hierusalem in circuitu usque ad Illyricum, hoc quod in eos præ cæteris sublimius & præclarius collatum est Sancti Spiritus donum, meritò primitias Sancti Spiritus appellavit. Tertium postea modum Origenes addit prioribus, his verbis: *Alius hic nobis ordo de primitiis Spiritus videtur, si probandus occurrit adhuc, addemus & tertium. Item ipse Apostolus dicit de Domino Iesu Christo, quia sit primogenitus omnis creaturæ. Ne forte ergo, ubi ille dicitur primogenitus omnis creaturæ, tali quâdam ratione etiam multorum Spirituum primitiæ dicatur Spiritus Sanctus. Sit ergo iste expositionis tertius modus.* De his tribus expositionis modis dicit: *Probet autem qui legit, quid horum magis sensui conveniat apostolico*; neglectâ sic illâ interpretatione, quam Auctor problematis tanquam Origenis adducit. Quòd si hæc, quæ sequuntur apud Origenem, non legit, negligenter admodum tractavit causam tanti momenti, si legit, neglexit officium sinceri viri, dum lectori tanquam Origenis sententiam tradit, quam ipse planè rejecit. Ne tamen ab hoc tertio interpretandi Origenis modo

modo forte posthâc quasdam petat suppetias, cogitandum est, Christum, dum dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, non referri in ordinem creaturarum, sed dici genitum esse antequam creatura ulla esset condita, hoc est, ab æterno, quemadmodum id explicat Scriptura alibi, ita etiam quando Spiritus Sanctus dicitur *primitiæ multorum Spirituum* ab Origene, non illi Spiritus creati sunt censendi ejusdem ordinis, cujus est Spiritus infinitus, qualem esse Spiritum Sanctum in superioribus evicimus.

XLI. Tandem his annectit p. 10. quod *imprimis notandum* censet, *quòd Spiritus Sanctus cum articulo eoque duplici legitur Joh: 14. vers. 26.* τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Enallagen autem* dicit, teste *Grotio in Append. de Antichr. p. 26. esse frequentem, ut nomen singulare cum articulo ponatur pro universitate*, quod *nemo paulo eruditior nesciat. Sic* ὁ ἄνθρωπος *est genus humanum*, ὁ Σατανᾶς *universitas diabolorum &c.* Hinc autem colligit Auctor problematis : *Quid ergo obstat, quo minus* τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον *sit universitas sive tota multitudo Sanctorum Spirituum.* Dicam quid obstet; primùm obstat, quòd non liceat sic colligere: *Frequentèr nomen singulare cum articulo ponitur pro universitate:* Ergo semper, ergo ubique; ergo

go nunquam nomen singulare cum articulo positum denotat singularem personam; est argumentum ex meris particularibus. Dein obstant illa, quæ dum hunc locum Joh. 14. 26. comparavimus cum cap. XV. 26. & cap. XVI. 13. & 14. observavimus, ex quibus probavimus ibidem per Spiritum Sanctum designari tertiam personam S. S. Trinitatis, quæ eandem cum Patre & Filio habeat divinam essentiam. Videat lector superius §. 16.

XLII. Nihil nunc restat, nisi ut ad examen revocemus rationes, quibus paradoxam hanc & novam suam opinionem conatur stabilire. Ea videtur proponere §. III. p. 13. & seqq. postquam præmisisset §. II. *reliquum esse, ut videamus, an cum aliquâ verisimilitudine dici possit, eos actu ipso* Spiritum Sanctum *vocari.* Primum autem argumentum desumit ex illis locis Scripturæ, in quibus Spiritus Sanctus effundi dicitur, cujusmodi sunt Es. 32. 15. *Donec effundatur supe r nos piritus de excelso.* 44. 3. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam, effundam Spiritum meum super semen tuum.* Zach. 12. 10. *Effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem, Spiritum gratiæ & precum.* Ezech. 39. vers. ult. *Effudi Spiritum meum super omnem do-*

domum Israël, *ait Dominus Deus.* Es. 20. 19. *Fudit super ipsos Deus spiritum dormiendi.* Observat autem, hâc phrasi *non everti Sp. S. personalitatem*, quod velint Sociniani, *cùm de animâ*, *quam personam esse alibi probaverit* (quod ubi factum non dicit, nec quibus argumentis) *eadem phrasis usurpetur* 1. *Reg.* 15. *Effudi animam meam.* *Ps. XLI.* 5. *Effudi in me animam meam*, & *Es.* 58. 10. *Cùm effuderis esurienti animam tuam.* Ubi quod dat, accipimus, nempe personalitatem non everti per istiusmodi phrasin, etsi animam cum corpore conjunctam non possimus pro personâ agnoscere, & putemus, id manifestam implicare contradictionem: ratio autem nostra hæc est, quòd vox Spiritus Sancti sæpe impropriè & metonymicè pro donis Spiritus Sancti, quæ varia sunt, accipiatur. Manifestus in eam rem est locus Ps. XLV. 3. הוצק חן בשפתותיך *gratia fusa est in labiis tuis*, & Act. 2. 38. *Accipietis donum Sp. Sancti*, hoc autem ordinariè ipse Spiritus Sanctus dicitur alibi, ut Act. X. 44. *Illapsus est Spiritus Sanctus in omnes*, *qui audiebant hunc sermonem.* Sic Exod. XXX. 3. Deus dicit: *Betzaleelem implevi spiritu Dei*, quod explicat in seqq. *sapientiâ*, *intelligentiâ* & *scientiâ.* Sic Num. XI. 17. quem supra vidimus. Joh. VII. 38. 39. *Qui credit*

in

in me; sicut dixit Scriptura, flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent. Hoc autem dixit de Spiritu illo, quem accepturi erant credentes in eum; ubi per flumina aquæ vivæ, quæ Sp. Sanctus appellantur, non potest aliud quid intelligi, quàm fructus & dona Spiritus, quæ primis credentibus solebant concedi in ædificationem & conversionem aliorum; atque hoc modo explicari posse putamus priora quatuor loca, quæ ab Auctore hîc sunt adducta. Quid verò ille? Post citata illa loca, in quibus phrasis effundi usurpatur de animâ, dicit: *Hinc itaque apparet, neque contra eos qui statuunt Spiritum Sanctum unum individuum personale, me ex hâc phrasi probare posse, Spiritum Sanctum esse omnem collectionem Spirituum Sanctorum.* Sed immediatè his subjungit: *Ne quis verò putet, Socinianorum tantùm ac* Bidelli *hypothesin cum hâc phrasi salvari posse, meam verò conjecturam cum eâdem vel non convenire vel eidem potius refragari, dicam* Ciceroni, Livio, *aliisque civitatem, multitudinem aut frequentiam effundi dici. Sic Cicero:* in me carcerem effudistis, *id est, homines qui erant in carcere.* Alia his adjungit loca ex Virgilio & Curtio. Hoc vult, phrasin illam, effundi Sp. Sanctum *non repugnare* suæ sententiæ, quod equidem concedo, si ea ab-

stractè

ſtractè & in genere ſumatur; ſed ſi attendatur ad loca citata, cùm in iis ſermo ſit de Spiritus Sancti donis, quæ non poſſunt dari, niſi ab eo, qui ſit Supremus & æternus Deus, qui ſit formator cordis hominum, qui ſit auctor omnis luminis & omnis boni, quod deſuper & cœlitus deſcendit, quod facile ex locis Eſai. 32: 15. c. 44: 3. Zach. 12: 10. & Ezech. 39. verſ. ult. poſſet evinci, omninò repugnabit, ut illa loca de miſſione angelorum creatorum intelligantur. At Eſ. 29: 10. dum *effuſus* dicitur *Spiritus ſoporis* in Judæos, docetur, eos induratos eſſe, ſic traditos Satanæ, qui illos excæcaverit; idque ita, ut gravis & vehemens ſit illa excæcatio, quaſi magnâ copiâ effuſa. His ſic præmiſſis ſtringere conatur argumentum, & vult, *hic notandum, quòd ad diviſionem Spiritus Sancti clarius inſinuandam de ſuo Spiritu Deus effundere dicitur Joel.* 11: 28. 29. *& Act.* 2: 17. 18. *Conf. Tit. cap.* 3. *verſ.* 6. *&* 1 *Joh.* 4: 13. *legitur* ἐκ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ δέδωκεν ἡμῖν, ex Spiritu ſuo dedit nobis. *Hæc verò de unâ perſonâ dici poſſe minimè videntur: quippe iſtis ſignificatur, quandam quaſi partem Spiritus effundi, mitti, dari: aliam continuè Deum collaudare.* Neque tamen ita obtinere poteſt inſtitutum. Fateor, ſic quandam partitio-

nem

nem & divisionem significari, quod optimè de donis Spiritus Sancti potest intelligi, quâtenus Deus aliis hæc, aliis illa Sp. S. dona confert, & aliis majori gradu, copiâ & abundantiâ, aliis minori; nihil ergo nos cogit, ut id de parte angelorum accipiamus. Spiritus Sanctus sæpe cum aquâ comparatur, quæ propriè dicitur effundi, tunc ergo in illâ metaphorâ Sp. Sanctus dicitur effundi, quando dona ipsius communicantur.

XLIII. Sequitur §. 4. aliud argumentum, quod tamen à priori non differre non injuriâ quis dixerit, cùm utrumque sit desumtum à phrasibus illis Scripturæ, in quibus Spiritus Sanctus divisus dicitur, & inter alia loca Scripturæ iterum citatur 1 Joh. 4: 13. Urget etiam illud eodem modo: *Ea autem*, inquit, *de unâ personâ, eâque immateriali non videntur dici posse, sed potius de multitudine seu exercitu Sanctorum Sp., qui in sua ministeria distribuitur, prædicanda inprimis cùm phrasis ista solemnis sit scriptoribus istius temporis. Nam Cæsar ait, exercitum per plures Civitates distribui. Plinius Junior in ministeria distribui exercitum scribit.* Unde etiam similia exempla adduci vidimus. Alia quædam adjecit loca Scripturæ, quæ de divisione & partitione Sp. Sancti loquuntur, ut sunt Hebr. 2: 4. & Num.

11: 17. 25. Joh. 3: 34. Actor. 11: 17. 18. 2 Reg. 2: 9. ubi Eliam orat Elisæus, ut duplex portio Spiritus ejus super se sit. Verùm operæ pretium est observare, quòd locus ille Actor. XI. 17. non tantùm nullo modo inserviat causæ Auctoris problematis, sed eam planè destruat, & nostram responsionem præced. articulo datam confirmet. Postquam enim dixisset Petrus vers. 15. quòd ceciderit Sp. S. super illos, qui erant in familiâ Cornelii, sicut & olim super Apostolos, sive, quod idem est, quòd fuerit effusus super illos, explicat id de dono Sp. Sancti, & quod antea appellaverat Spiritum Sanctum, nunc δωρεὰν donum dicit Spiritus Sancti; *si igitur æquale donum dedit eis Deus sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum, quis verò ego eram ut possem prohibere Deo?* Hæc si cum attentione legit Auctor problematis, quidni potius istam effusionem explicavit cum Apostolo de donis Sp. Sancti, quàm ut ἰδίαν ἐπίλυσιν contra monitum Petri 2. Pet. I. 20. introduxerit? Quæ postea citat ex Clem. Alex. Strom. 5. ubi dicit præfecturas angelorum esse distributas per gentes & civitates, de iis agendi postea commodior erit locus.

XLIV. Nos progredimur ad argumen-

tum ejus Tertium, quod habet §. 5. & operosè admodum deducit. Sic illud proponit: *Omisso Spiritu Sancto in pluribus S. Scripturæ locis, in quibus minimè conveniens videri possit eum omitti, in illius, vel potius ipsius nominis Spiritus Sancti locum, post Deum Patrem & Filium subnectuntur Angeli. Unde apparet, per angelos intelligi Spiritum Sanctum.* Vis igitur istius argumenti videtur consistere in his duobus, & quod omittatur nomen Sp. Sancti in quibusdam locis Scripturæ, in quibus non est conveniens illud omitti, & quòd in ejus locum, post Deum Patrem & Filium, ponantur angeli. Vide verò ô homo, ne nimium præsumas de tuâ sapientiâ, nec, quod tibi videtur conveniens, censeas sic quoque debere visum fuisse Deo. An non nôsti sapientiam Dei longè majorem esse quàm sapientiam hominum, & ubi nullas videt rationes homo, videre tamen Deum. Scilicet videbatur Auctori problematis minimè conveniens, ut Marci 13. 2. omitteretur Spiritus Sanctus, nisi per Sp. Sanctum intelligantur Angeli. Sic enim ille p. 12. *Ita Marci* 13. 32. *Christus dicit, neminem scire diem judicii, nec angelos cælestes, nec Filium, sed solum Patrem suum. Nam si Spiritus Sanctus illum scivit, immerito*

merito itaque Christus suum solum excepit Patrem, si nesciret adjunxisset sibi & angelis Spiritum Sanctum, nisi forte eum nomine angelorum expressum voluit. Qui si collationem instituisset Scripturarum debitam, vidisset, omninò scivisse Sp. S. diem judicii. Dicitur enim 1 Cor. II. 10. *Spiritus Dei scrutari omnia*, id est, perfectè cognoscere (prout superius ostendimus debere hæc verba accipi) *etiam profunditates Dei.* Qui sic novit profunditates Dei, qui Deum infinitum infinito suo intellectu comprehendit, is etiam novit Dei consilia, adeoque diem judicii. Dicitur porrò vers. 11. quòd, sicut nemo *hominum vidit ea quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in ipso, ita nemo noverit ea quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei*; unde necessariâ consequentiâ colligitur, Sp. S. esse ipsum Deum, qui sic sit conscius sui ipsius, sicut hominis Spiritus est conscius de se ipso; & cùm Deus noverit diem judicii, certum quoque est Sp. Sanctum, qui omnia novit, quæ sunt Dei, eum non ignorare. Potest igitur responderi, quando *solus Pater* dicitur nosse diem judicii, non nomen Patris sumi personalitèr, sed essentialitèr, prout æquipollet nomini Deus aliquoties in scripturis; quę loca cuivis sunt obvia.

Perperam verò admodùm citat auctor locum Marci 13. 32. addens de suo illud Pronomen *suum*, cùm Christus non dicat, *solum Patrem suum* nosse diem judicii, sed *solum Patrem*. Hæc responsio si fortè non arrideat, dabimus aliam, nimirum, Christum hîc nullam facere operationem Sp. Sancti, quia ille tunc nondum missus erat, quæ missio demum facta in festo Pentecostes. Quamcumque quis præferat, certum est, illam notitiam diei judicii non assignari Patri ad excludendas reliquas personas S. S. Trinitatis, sed tantùm in oppositione ad creaturas. Quòd si hoc *Auctoris* argumentum procederet, an non eodem jure licebit colligere ex Matth. XI. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis cognoscit nisi Filius, & si cui Filius voluerit revelare.* Si nemo novit Patrem nisi Filius, Ergo Pater se ipsum non novit, & si nemo novit Filium nisi Pater, non Ergo Filius se ipsum novit. Cogitandum ergo, multa dici de Deo vel etiam de personâ aliquâ S. S. Trinitatis ad excludendum creaturas, quæ non sunt trahenda ad excludendam unam vel alteram S. S. Trinitatis personam. Ita hîc Marci XIII. 32. negatur angelis scientia diei judicii, quia sunt creaturæ: negatur ea Filio, quod procul dubio non

non poteſt intelligi de utrâque naturâ, cùm ſecundùm divinam *noverit Patrem*, Matth. XI. 27. adeoque omnia quæ ſunt in Patre, inter quæ referendus quoque eſt dies judicii, & *ſcrutetur corda & renes* Apoc. II. 23. quod ſolent Deo aſſignare ſacroſanctæ literæ, & *noverit omnia* Joh. XXI. 17. atque ita ſequitur, id intelligendum eſſe de humanâ ejus naturâ, cui Deus revelaverat tunc ea myſteria, quæ revelare Ecçleſiæ debebat, inter quę non referendus eſt dies judicii. Unde manifeſtè apparet, dum hîc à notitiâ diei judicii tantùm creaturæ excluduntur, non excludendum eſſe Sp. Sanctum.

XLV. Videamus nunc alia *Auctoris* loca, in quibus minimè conveniens ipſi videtur omitti Spiritum Sanctum, niſi ſtatuatur, angelos, de quibus ibidem eſt mentio, in ejus locum ſupponi. Producit ea p. 16. Marci 8. 38. *Veniet & Filius hominis in gloriâ Patris ſui cum Angelis Sanctis*, quibus paralleli ſunt Luc. 9. 24 & 1 Theſſ. 3. 13. *Inde* autem ſibi *videri* dicit, in ſeqq. locis *Archangeli, angelique vocem etiam ſynecdochicè numero ſingulari pro plurali poni, inprimis* 1 *Theſſ. c.* 4. *verſ.* 16. *Ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli, & in tubâ Dei deſcendet de cælo Eſ.* 63. 9. *Non angelus, ne-*

que legatus , sed ipse Dominus salvos eos fecit. Gal. 4.14. *sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum. Eccl.* 43.13. *δι' αὐτὸν εὐοδοῖ ὁ ἄγγελος αὐτοῦ, καὶ ἐν λόγῳ αὐτοῦ συγκεῖται τὰ πάντα.* Hîc scire vellem, quare ipsi non visum fuerit conveniens omitti Spiritum Sanctum ? Mihi verò id omninò conveniens videtur propterea , quòd quamvis opera omnia S. S. Trinitatis ad extra , juxta communem & verum canonem Theologorum, sint indivisa, adeoque Judicium extremum, quâtenus est opus ad extra, sit commune toti S.S. Trinitati , tamen , quantum attinet ad modum operandi, nulla hîc possit considerari operatio, quæ certâ quâdam & peculiari ratione queat appropriari Spiritui Sancto. Joh. V. 22. dicitur, quod *Pater omne dederit judicium Filio*, quâtenus sine Filio neminem judicat. Est hîc operatio quædam Filio appropriata, quæ ad *Redemtionem* pertinet, quod opus proprium est Filii,sicut *Sanctificatio* est opus proprium sive appropriatum Sp. S. Hoc opus censendus est peregisse & absolvisse plenissimè Sp. Sanctus ante judicium extremum, ubi nempe ultimi electorum fuerint vocati per fidem, in cujus donatione, conservatione & augmento consistit & absolvitur

tur Sanctificatio, quâ perfectâ & consummatâ, quod fit in morte, intromittitur fidelis tanquam omninò purus in regnum cœlorum. Et opus Redemtionis includit etiam redemtionem corporis, quam adhuc exspectamus Rom. VIII. 13. At illa redemtio corporis nostri fit per resurrectionem & adjudicationem ad vitam, quę particularis est Christi, juxta Joh. V. 22. Sic 1 Cor. XV. 24. dicitur, quòd ubi fuerit *finis*, *Christus sit traditurus regnum Patri, ut Deus sit omnia in omnibus.* Finis erit in judicio extremo, quod datum est Filio. Post hoc nihil aliud exspectandum, quàm ut Christus tradat regnum Patri, hoc est, ut illi quos hâctenus defendit contra hostes, nunc liberati ab omnibus hostibus, à peccato, à morte, à miseriâ omni, sistantur sic Patri, ut imposterum nihil sit in ipsis, nisi quod est à Deo, nullum peccatum, nulla mors, nulla planè miseria, sicque Deus sit omnia in omnibus. Sic puto constare, quare in his locis non fiat mentio Sp. S. particularis, quia nullum in judicio extremo opus peculiaritèr Sp. S. appropriatum occurrit. Angelorum verò fit mentio, quia illi tanquam ministri Filii Dei spectantur, quorum operâ vult uti ad colligendos suos electos, prout clarè admodùm

docetur Matth. XXIV. 30, 31. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate & gloriâ multâ. Et mittet angelos suos cum tuba vocis magna & colligent electos suos à quatuor ventis, ab extremitate cœlorum ad eorum extremitatem*; & qui etiam ad manifestationem gloriæ ipsius hujus Regis æterni J. Christi sunt quàm maximè facturi. Miror autem Auctoris consequentiam, quam ex illis locis nectit, quòd nimirum inde sequatur, ut in locis 1 Thess. 4. 16. Es. 63. 9. Gal. 4. 14. & Eccl. 43. 13. per archangelum & angelum synecdochicè intelligantur angeli. Locorum istorum diversa planè est ratio, & sermo non est ubivis de re eàdem. 1 Thess. IV. 16. agitur quidem de iis, quæ spectant extremum judicium, quâtenus agitur de resurrectione, quæ extremum judicium antecedit, sed per archangelum non intelliguntur angeli, sed ipse Christus, qui dicitur de cœlo descensurus tali voce, quæ sit instar tubæ, quâ demonstret se esse archangelum, quæque deceat eum, qui est archangelus, nempe Christum, qui est princeps angelorum, qui est angelorum caput. Neque mentio fit in sacrâ paginâ plurium quàm unius archangeli, neque plures esse possunt, quia nec plures esse possunt

sunt

ſunt Mediatores. Locus Eſ. LXIII. 9. perperam vertitur; Sic habent Hebræa:

בכל-צרתם לא צר ומלאך פניו הושיעם

In omni anguſtiâ eorum non arctavit eos, ſed angelus faciei ipſius ſervavit illos, quibus additur: *in dilectione ſuâ & in clementiâ ſuâ ipſe vindicabat eos, & bajulabat illos, & ferebat illos omnibus diebus ſeculi.* Et hæc omnia talia ſunt, ut in angelum creatum cadere non poſſint. Quis enim eſt Angelus faciei Dei, niſi is qui eſt imago Dei inviſibilis, quo viſo videmus Patrem, Filius Dei qui eſt in ſinu Patris? qui utique non eſt angelus creatus, ſed ipſe Deus. Quis eſt Servator niſi Filius Dei? quis ſalutem æternam conferre poteſt, niſi qui eſt ipſa vita, adeoque fons & origo vitæ? quis bajulare, quis conſervare poteſt, niſi is qui omnia fert verbo ſuo potente? quonam igitur quæſo jure nomine *Angeli faciei Dei* intelligamus angelos? Gal. IV. 14. fatemur, per angelum Dei poſſe intelligi angelum creatum, ſed non apparet neceſſitas ulla, ut illud vocabulum ſynecdochicè interpretemur. Docet Apoſtolus, quanti olim æſtimaverint ſe, & quo in pretio apud ipſos fuerit, nimirum, quòd ab ipſis fuerit non ſecus æſtimatus ac angelus aliquis,

imò ac ipse Christus Jesus, quâtenus nempe sciebant verbum, quod prædicabat Paulus, esse verbum Christi Jesu. Locus Eccles. 43. 13. ex libro Apocrypho cùm sit, possemus illum jure præterire; attamen vers. 13. nihil his simile legitur. Sed verba ista vers. 26. in plerisque libris leguntur, in aliis tamen habetur Δι' αὐτὸν διοδία τέλος αὐτοῦ, quam lectionem Londinensis editio præfert. Sed retineamus vulgarem lectionem, quid verò inde conficietur? non enim necessariò angelus Dei synecdochicè hîc debet sumi, cùm possit denotare individuum vagum; &, si synecdochicè accipiatur, nihil tamen inde lucrabitur, cùm hîc sit quæstio, an per Spiritum Sanctum intelligantur angeli, quod sanè hinc nullo modo potest concludi.

XLVI. Pergit Auctor & majori efficaciâ urget argumentum suum. *Sed omissis obscurioribus*, inquit, *& incertis, ad certiora, à quibus initium fecimus, redeamus. Luc.* 12 8, 9. *Filius hominis confitebitur & negabit coram angelis Dei, & Apoc.* 3. 5. *Confitebor* (dicit Christus) *nomen ejus coram Patre meo & coram angelis ejus, &* 1 *Tim.* 5: 21. *Obtestor*, inquit Apostolus, *coram Deo, Domino Iesu Christo, & electis angelis.* Videamus jam robur istius argumenti:

menti: *In testimonium hic vocantur*, ait, *Pater, Filius & Angeli. Aut ergo h. l. Spiritus S. testimonium, aut* 1 *Ioh.* 5:7. *(alloquor nunc eos, qui hunc locum genuinum agnoscunt) Angelorum omissum esse dicendum, qui tamen non semel testati sunt, Iesum esse Christum, nisi per Spiritum Sanctum intelligantur Angeli, & per angelos Spiritus Sanctus.* Planè alius est scopus 1 Joh. V. 7. alius reliquorum locorum. 1 Joh. V. 7. testantur tres illi testes, fidem vincere mundum, sive cupiditates, quæ sunt in mundo, ut ubi est fides ibi illæ locum habere nequeant, quòd ea corda purget, prout à nobis paulo ante ad §. 23. plenius fuit ostensum. At Luc. XII. agitur de sententiâ judiciali, quam Christus coram angelis Dei sit pronunciaturus, ipsis nempe præsentibus & testibus; & Apoc. III. angeli iterum tanquam testes istius sententiæ adducuntur, sed adjicitur Pater, qui non tantùm consideratur ut testis, sed etiam ut Auctor Judicii illius, quod exercebit Filius, utpote qui Filio omne dedit judicium. Tandem 1 Tim. V. 21. advocat Apostolus Paulus testes angelos, qui Ecclesiæ sunt præsentes, atque ea, quæ in illâ fiunt, semper observant, sicut & Pater & Filius suâ Omniscientiâ omnia nôrunt, quæ in Ecclesiâ contingunt. Hoc argumentum

tum

tum si ullam vim habeat, disjunctivum ut sit oportet. Hoc ergo modo erit formandum: Aut Luc. XII. 8. 9. Apoc. III. 5. & 1 Tim. V. 21. omissum est Sp. Sancti testimonium, aut 1 Joh. V. 7. omissum est testimonium angelorum, aut per Sp. S. sunt intelligendi angeli: Sic verò subsumendum, si quid debeat concludi: Atqui non omissum est Luc. XII. 8. 9. Apoc. III. 5. & 1 Tim. V. 21. testimonium Sp. S. nec 1 Joh. V. 7. omissum est testimonium Angelorum E. per Sp. S. sunt intelligendi angeli. Supponit hoc argumentum, semper & quovis in loco omnes eos, qui testimonium possunt dare alicui veritati, debere conjungi, quod utique gratis dicitur & sine probatione. Nos verò poterimus eodem argumentandi genere ex Luc. XII. 8. 9. conficere, Patrem esse angelos & Spiritum Sanctum, cùm & ibi omissum sit nomen Patris, quod positum est Apoc. III. 5. Sp. Sanctus in verbo suo non semper omnes conjungit, qui quidem conjungi possunt, quia unus sufficit testis, sufficit Sp. Sanctus, sufficiunt istæ 3. personæ Trinitatis, vel conjuncti inter se invicem, vel seorsim producti, quia unaquæque harum personarum est supremus atque æternus Deus. Sufficiunt etiam sancti angeli tan-

quam

quam testes, quia ita sunt confirmati in veritate, ut decipere non possint. Conjunguntur aliquando in Scripturis Deus & Spiritus Sanctus, nulla mentione factâ vel Patris vel Filii Dei. 1 Chron. XXVIII. 12. *Tradidit David structuram omnium, quæ penes eum erant per Spiritum de atriis domus Iehovæ & de omnibus domibus circumquâque.* Aliàs commemoratur Filius & Sp. Sanctus nullâ mentione factâ Patris. Sic Matth. XII. 32. *Quisquis locutus fuerit adversus Filium hominis remittetur ei: quisquis autem locutus fuerit adversus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Rom. XV. 30. *Precor autem vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum & per charitatem Spiritus, ut mecum certetis pro me apud Deum precibus.* An verò inde conficietur, non posse hominem loqui adversus Patrem, vel precandum esse tantùm Jesum Christum & Sp. Sanctum, non etiam Patrem? Plura afferri possent, sed hæc impræsentiarum sufficiunt ad denudandam imbecillitatem istius argumenti. Legat Auctor Problematis epistolam Athanasii ad Serapionem, & videbit hoc suum argumentum ante aliquot secula jam esse elisum. Testes esse angelos non negamus, nec id opus erat probari ex Origene

gene vel quisquis est auctor lib. 1. in Jobum aliisque.

XLVII. Adducit tamen p. 17. caput ad Hebr. 12. vers. 21, 22, 23, 24, ad quem locum observat, quòd ibi *Apostolus recenseat Deum, Spiritum & Iesum, vel omnes cum quibus communionem habeamus, inter quos tamen nulla mentio injicitur κατὰ τὸ ῥητὸν ipsius Spiritus Sancti*, atque inde colligit, *videri ipsum intelligendum per civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem.* Sed supponit, necessariò isto in loco debuisse mentionem fieri Spiritus Sancti, vel expressam vel saltem implicitam, non probat; & jam antea robur istius argumenti elisum fuit. Sic qui pugnat, numero pugnat locorum Scripturæ, non robore, non pondere. Nec opus est, ut si implicita mentio fiat isto in loco Sp. Sancti, ut is designetur per Hierosolymam cœlestem & per Spiritus: longè enim commodius nomine Θεοῦ ζῶντος, qui non tantùm est Pater, sed tota S. S. Trinitas adeoque & Sp. Sanctus potest intelligi. Non intellexit Auctor problematis istum locum, & confundit, quæ distinctè erant consideranda. Opponitur ibi monti Sinai, ad quem steterunt Judæi, accipientes tabulas fœderis & postea etiam jugum illud δυσβάστακτον, quod ferre non potuerunt, mons Sion,

Sion, adeoque Ecclesiæ illi, quæ erat sub jugo, Ecclesia N. T. quæ libertate ab illo jugo gaudet; sicque agitur de Ecclesiâ non triumphante, de quâ in seqq. fit mentio, sed de Ecclesiâ militante in his terris. Agitur enim de fidelibus conversis, quos alloquitur Apostolus, qui, dum vivebant, dicuntur accessisse ad montem Sion & Hierosolymam cœlestem, oppositè ad montem Sinai, ad quem steterant Judæi. Hæc dicitur Ecclesia Dei vivi, & Hierosolyma cœlestis hoc ipso nomine, quòd ab isto jugo, iisque omnibus, quę cum illo erant conjuncta, sit liberata, & modo quodam planè cœlesti regatur: appellatur illa congregatio & Ecclesia primogenitorum, qui descripti sunt in cœlis, quâtenus significatur, Ecclesiam nunc non esse certo cuidam loco, qualis tabernaculum, templum, aut certo cuidam cœtui, ut erat Ecclesia Judaica, alligatam, ut, qui velit esse membrum Ecclesiæ, debeat cum illâ Ecclesiâ necessariò habere communionem externam in ritibus & ceremoniis, adeoque servitute umbrarum, sed eam nunc esse universalem & comprehendere cœtum primogenitorum Dei, eorum nempe fidelium, qui, cum sub N. T. vivant, majoribus privilegiis fruuntur, quàm illi, qui olim vivebant

sub

ſub Veteri. Hæc eſt Eccleſia Dei in his terris degens, quæ non confundenda eſt, uti fit ab Auctore, cum angelis, quippe quæ expreſſè diſtinguitur à myriadibus angelorum, nec etiam confundenda eſt cum Eccleſiâ triumphante in cælis, quam denotat per *πνεύματα δικαίων τετελειωμένων Spiritus juſtorum conſummatorum*, qui conſummati dicuntur, ſed ſine nobis Heb. XI. 40. Probet igitur Auctor problematis, Spiritus illos eſſe angelos, probet civitatem Dei viventis, Hieruſalem cœleſtem, eſſe cætum angelorum, (quod ſi fecerit, eâdem operâ probaverit Apoſtolum confundere ea, quæ quàm maximè voluit diſtincta,) probet debere hîc mentionem fieri Spiritus Sancti, probet non poſſe eum intelligi ſub nomine Dei viventis; ſic his omnibus evictis, quorum nullum probare vel tentavit, confecerit demum ſuum inſtitutum.

XLVIII. Sed ille maluit locorum Scripturæ multitudine obruere lectorem, quæ pro lubitu explicat citra ullam adjectam ſuæ explicationis rationem. Suppoſito igitur, quod Heb. XII. 22. per Hieroſolymam cœleſtem intelligantur angeli in cœlis, ſimilitèr explicat alia loca, quæ de eâdem loquuntur, nullâ tamen probatio-

ne

ne adjectâ. Sic inquit: *Id ipsum verò confirmatur ex Apoc.* 3. 12. *ubi Christus dicit; Scribam super eum nomen Dei mei* (id est, Patris) *& nomen civitatis Dei mei, novæ Hierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo* (id est, Spiritus Sancti, qui procedit ex Deo, & descendit de cœlo) *& nomen meum novum* (id est, Filii Dei Jesu Christi) *& ex Apoc.* 22. 23. *ubi legitur: Dominus Deus Omnipotens templum illius* (Hierosolymæ) *est*, & Apoc. 22. 3. *Sedes Dei & Agni in illa* (Hierosolymâ) *erit*. Promittitur Apoc. III. 12. vincenti, inter alia, quòd Deus sit ipsi inscripturus nomen civitatis Dei; novæ Hierosolymæ, quæ descendit ex cœlis. Quid quæso hoc erit, si per Hierosolymam illam sint intelligendi Angeli? An ergo sumus denominandi ab angelis? an sumus angelorum? an non illi sunt σύνδουλοι nostri? an ergo denominabimur à nostris συνδούλοις? an verò dicemus, propterea nomen angelorum sive Hierosolymæ cœlestis nobis esse imponendum, quia simus nos futuri angelorum socii in cœlesti beatitudine? hoc fortè voluerit designare Auctor problematis; sin minus, non capio, quomodo possit explicare, vincenti inscribendum nomen multitudinis angelorum. At, si illud voluisset

luisset designare Sp. S., dixisset potius, illum, cui sit inscripturus nomen civitatis Dei, adscensurum ad Hierosolymam cœlestem, quam ut illa dicatur descendere de cœlo. Hoc significat, vincentem mansurum in terris, & sic in terris manentem communionem habiturum cum illâ Hierosolymâ cœlesti, hocque præmium habiturum in terris: at fidelis manens in terris & subjectus miseriis hujus vitæ non potest fieri socius angelorum in cœlesti beatitudine. Necessariò igitur est intelligenda illa *Hierosolyma, quæ est mater nostrûm omnium* Gal. IV. 26. At illam matrem dicit liberam, quæ opponitur servæ, quæ peperit liberos ad servitutem. Duæ autem istę matres sunt duo testamenta vers. 24. sive, duæ testamenti divini, quod promulgatum est Abrahamo, partes, in quo videre licet duplex semen assignatum Abrahamo, alterum carnis, alterum promissionis; ad illud pertinebant, qui ex lumbis Abrahami prodierunt, postquam sub servitute legis rituum fuerunt constituti, ad hoc omnes familiæ terræ, sive, omnes credentes; unde & Abraham Pater credentium fuit dictus. Istiusmodi mater nostrûm sunt illi, qui non fuerunt sub jugo, cujusmodi fuerunt Patres, qui vixerunt ante legem latam in monte Sinai; hi steri-
les

les fuerunt toto tempore, quo duravit lex servitutis; qui enim sub hâc periodo nati fuerunt, fuerunt sub servitute: postquam autem Ecclesia N. T. libera facta est, dicuntur fideles N. T. genuisse illi Patres, qui nunquam sub servitute fuerant & quorum Spiritus consummati erant in cœlis, quia cum his habuerunt fideles N. T. majorem similitudinem, quàm cum iis, qui sub jugo fuerunt; non ergo horum, sed illorum filii appellantur. Hæc ex cap. ad Gal. IV. & Es. LIV. constant, & facile plenius deduci & confirmari possent. Sic descensus ille è cœlo designat istam communionem in libertate, quâtenus sic suo sensu & modo fit unum cœlum ex fidelibus in terrâ viventibus, quorum Spiritus sunt in cœlis, dum in libertate communicant. Sic de angelis non potest cogitari, nec *descendere è cœlis*, quod angelis alibi tribuitur, debet confundi cum Sp. S. processione ex Deo. Ille sic procedit à Patre & Filio, ut sit Spiritus veritatis, qui nos ducat in omnem veritatem, tanquam auctor omnis veritatis, quod de angelis non potest dici, qui ipsimet ex Ecclesiâ debent cognoscere quasdam veritates, uti superius est evictum. Ille sic mittendus erat à Patre in nomine Filii, ut Apostolos doceret omnia, & in memoriam iis revo-

 caret,

caret, quæ dixerat Servator Joh. XIV. 26. quod in angelos cadere nequit, qui ut doctores Apostolorum nullibi constituuntur. Nec intelligi potest, quomodo angeli arguerint mundum de peccato, de justitiâ & de judicio, quod facturum esse Sp. Sanctum prædixerat Christus Joh. XVI. 8. Quæ citat ex Philone & aliunde p. 18. ad probandum, quòd inter cœlestes Spiritus sit quædam politia, ea prætermittimus, cùm id non sit in controversiâ, sed an in locis ab ipso adductis per Hierosolymam cœlestem denotetur multitudo angelorum?

XLIX. Sed ad hoc probandum regreditur ad Heb. XII. dicens: *At civitas Hierosolyma describitur Hebr. 12. d. vers. per* ἓν διὰ δυοῖν *per frequentiam myriadum angelorum, quæ est Ecclesia primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis. Et ratio est, quia civitas est multitudo seu collectio civium.* Sed de illâ confusione Auctoris, quâ ista, quæ manifestè apud Apostolum distinguuntur, commiscet, jam conquesti fuimus præced. art. quæ hîc perperam excusatur per ἓν διὰ δυοῖν, juxta quam omnia illa tria Ἱερουσαλὴμ ἐπουράνιος, μυριάδες ἀγγέλων & πανήγυρις καὶ ἐκκλησία πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων, idem planè significare debent.

bent. Sic verò ταυτολογία verbis Scripturæ affingitur, quæ à Deo sapientissimo, cujus nullum verbum excidere potest, vel frustra dictum videri debet, est inspirata. Ipsa illa vocabula in se spectata diversa inferunt. Hierusalem cœlestis quæ sit, explicatur utique ad Gal. IV. πρωτότοκοι sunt non *primitivi*, quod vocabulum solet denotare eum, qui non est genitus, sive, qui ex alio originem non habet, sed denotat primogenitos, per quos non angeli, sed homines intelliguntur; nec enim angeli hoc nomine vocantur, sed eo appellantur homines. Mirum verò est Auctoris ratiocinium: Civitas est multitudo seu collectio civium: Ergo per eam sunt intelligendi angeli. Quidni enim ego eodem jure colligam: Civitas est multitudo seu collectio civium: Ergo per eam sunt intelligendi homines? Hinc adfert varia testimonia eorum, qui Hierosolymam cœlestem intellexerunt angelos, Hermam, Eüsebium, Origenem, Clementem, Tertullianum, p. 18. & 19. de quibus non est, quòd simus soliciti, cùm non quæratur, quid illi per Hierosolymam cœlestem intellexerint, sed quid in Scripturis per éam sit intelligendum, nec velimus negare, posse istam appellationem Hiero-

solymæ cœlestis usurpari de angelis, etsi negemus, eam à Scripturis sic adhibitam. *At alii Patres* (ait p. 19.) *inter quos C. Marius Victorinus Afer & Hieronymus ex Euangelio secundùm Hebraos, docuere Sp. S. esse Christi matrem & ob id* רוח *Hebrais esse fœmininum.* Sed loca Patrum istorum non adducit, & ipse hoc deserit, unde & nos præterimus. *Sed*, sic pergit, *quicquid sit de istâ sententiâ (qua fuit hareticorum Gnosticorum & Valentinianorum haresis, impugnans illud Ioh. cap.* 1. *vers.* 3. per ipsum omnia facta sunt, *& Coloss.* 1. *vers.* 15. *&c.) certè Patres pradicti & inter se & cum sacris literis non meliori ratione conciliari poterunt, quàm si statuatur, Angelos esse Spiritum Sanctum.* Sic multa movet, nihil promovet; nec possum satis mirari istum desultorium modum agendi. Dicit hoc tantùm, non ostendit, unde nec ullám mihi video impositam necessitatem Patres inter se & cum Scripturâ conciliandi, præsertim cùm nihil repugnèt, ut dicantur Patres inter se invicem aliquando sententiis dissidere, vel contradicere Scripturis. Si ille tamen clarè ostendisset, Patres eosque probatos per Hierosolymam cœlestem in illis locis Scripturæ, in quibus de eâ fit sermo, intelligere angelos, &, si de-

demonstrâsset, Patres non posse conciliari cum Scripturâ alitèr, nisi statuatur, Angelos esse Spiritum Sanctum, nos eam fuissemus insumturi operam, ut ad examen ista revocâssemus, à quo labore nunc video nos posse supersedere.

L. Jubet nos conferre Exod. XXIII. 20,21. cum Esai. 63. Puto autem inde ipsum conficere velle, Angelos esse Spiritum Sanctum. Videamus, an ex collatione istorum locorum id elici queat. Exodi XXIII. 20. 21. sic habetur: *Ecce ego mitto angelum coram facie tuâ ad custodiendum te in viâ, & ad ducendum te in locum quem præparavi. Cave tibi à facie ejus & ausculta voci ejus, ne te amarum facias coram eo, nam non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in medio ipsius.* Et Es. LXIII. 9. 10. *In omni angustiâ eorum non coarctavit: at angelus faciei ejus servavit eos; in dilectione suâ & in clementiâ suâ ipse vindicabat eos, & bajulabat illos, & ferebat illos in omnibus diebus seculi. Nam ipsis rebellantibus & dolore afficientibus Spiritum Sanctitatis ejus, ipse quidem mutabatur illis in inimicum, pugnabat contra eos*; addam vers. 11. *Sed recordabatur dierum seculi, Mosis, populi sui, ubi qui eduxit ipsos è mari cum pastore gregis sui, ubi qui posuit in medio ejus Spiritum San-*

ctitatis suæ? Sed in illis locis nulla est mentio Angelorum. Exod. XXIII. 20. 21. agitur de Angelo, in cujus medio nomen Dei dicitur esse; quo vel ipso fit manifestum, non esse Angelum creatum, sed increatum. Non est nomen Jehova in medio angeli creati, cùm creatura à Creatore infinitâ differat distantiâ. Quid sit illa phrasis, nomen Jehova esse in medio alicujus, expendendum. Cogitandum autem, Deum mandare Israëlitis ut caveant sibi, ne offendant vel exacerbent angelum illum, adjectâ comminatione, quòd ille angelus non sit laturus eorum defectionem, hoc est, quòd sit gravissimè in eam animadversurus, idque eum facturum docet, quia nomen Dei est in medio ipsius: quæ ratio non desumitur à naturâ angelicâ in genere, sed ab eo, quod huic angelo est particulare & speciale; debet ergo angelus intelligi non quivis, sed singularis cujusdam dignitatis & excellentiæ. Nomen Dei est omne id, quod de Deo cognosci ex naturâ & credi ex revelatione potest atque debet. Hoc nomen qui usurpat temerè, dicitur illud non impunè laturus in præcepto III. Sic hîc non dicitur laturus defectionem iste angelus, in cujus medio est nomen Dei, sed in eam gravitèr animadversurus, idque propterea, quia

quia nomen Dei est in medio ipsius, quod ideo censetur temerè usurpari, si illum quis exacerbaverit. Sic ergò intelligitur, contra Deum immediatè peccari & temerè Dei nomen usurpari, quando peccatur contra illum angelum. Oportet igitur illum angelum esse Deum. Quod & ipsa illa phrasis, *nomen Dei esse in medio ipsius*, videtur inferre. In medio alicujus esse est intimè esse cum illo conjunctum, quod pro diversâ subjectâ materiâ diversimodè debet applicari. Christus de se dicit Ps. XL. vers. 8. *Lex tua est in medio* מֵעָי *viscerum meorum*, quòd illa quasi ad substantiam suam pertineat, atque ita firmissimè cordi suo inhæreat. Sed quando nomen Dei dicitur esse in medio illius angeli, docetur, id omne, quod de Deo cognosci & credi potest, esse in ipso, adeoque etiam justitiam Dei, propter quam fiat, ut non possit impunitum relinquere eum, qui se exacerbaverit. Quæ exacerbatio singulare quoddam peccati genus videtur designare, quale nempe est blasphemia in Spiritum Sanctum & impœnitentia finalis ac finalis apostasia à Deo. Hoc est sumere peccatorem nomen Dei in vanum. Confer Ps. L. 16. 17. ubi improbo exprobratur, quòd *fœdus Dei sumat in os suum & projiciat verba Dei post*

 se.

se. Hoc est peccatum hypocriseos, quando quis præ se fert Dei cultum, & profitetur veram religionem, sed præcepta Dei contemnit. Et sanè hic Angelus manifestè distinguitur ab eo, quem Moses deprecatur à Deo ne mittat, estque ille idem cum Dei facie; unde & Es. LXIII. angelus Dei faciei appellatur, sicut mox videbimus. Et observandum, quòd, postquam Israëlitæ irritum fecissent fœdus Dei faciendo sibi vitulum eique se incurvando sacrificantes Exod. XXXII. 7. 8. Deus jusserit, *ut Moses deduceret populum*, & promiserit simpliciter, *angelum suum præiturum*, sicut & cap. XXXIII. 1. 2. de eo dicitur, *quòd sit expulsurus Cananæum, Emoræum* & reliquas gentes; quibus verbis creatum tantùm angelum designabat, nihil ipsi divini tribuendo; cumque id agnosceret Moses, sic Deum allocutus fuerit cap. XXXIII. 12. 13. *Vide tu dicis ad me, deduc populum istum, & tu non notum facis mihi, quem missurus sis mecum, tu tamen dixisti, agnosco te nomine* tuo, *atque etiam invenisti gratiam in oculis meis. Nunc ergo, si modo inveni gratiam in oculis tuis, indica mihi quæso vias tuas & agnoscam te ut inveniam gratiam in oculis tuis: considera etiam gentem hanc populum tuum esse.* Quibus verbis cum prioribus collatis videtur signi-

significari, quòd Deus mittendo angelum aliquem, quem non opus sit cognoscere, nisi quòd sit angelus ministrans Deo & jussa ipsius exsequens, non possit videri sic gratiosè agere cum Mose, contra quàm promiserat, nec etiam vias suas patefaciat, quod se facturum antehâc promiserat, mittendo Angelum eum, in cujus medio sit nomen Jehova, quod nomen qui cognoscit, vias Dei cognoscit; petit igitur ut Deus cogitet, hunc populum esse populum suum, cum quo fœdus pepigerit gratiæ, adeoque sic agat cum eo ut decet Deum fœderatum, quem decet mittere eum, per quem se revelet tanquam Deum istius populi, adeoque non sic agat cum populo suo, quemadmodum cum aliis populis agere consuevit, coram quibus alios populos expellit, ita ut per quem hoc faciat ignorent, neque unà cum isto beneficio habeant conjunctum beneficium cognitionis Dei. Ad hæc verò cùm Deus respondisset, vers. 14. *faciem suam ituram cum ipsis, & se quietem illis daturum*, hoc procul dubio idem est, ac si repetiisset illam promissionem Exod. 23: 20, 21, quòd angelus ille sit iturus cum ipsis, in cujus medio est nomen Jehovæ, qui Es. LXIII. dicitur Angelus faciei Dei, quem qui videt,
videt

videt Deum, quoniam est unum cum Deo. Non potest ergo Angelus ille esse angelus creatus. Idem verò est, uti jam ostensum, cum eo, qui Es. LXIII. dicitur angelus faciei Dei; neque ullâ ratione existimandum, quòd Angelus faciei sit Spiritus Sanctitatis Dei, de quo vers. 9. etsi Es. 63: 9. is dicatur exacerbari, sicut & Exodi 23: 21. Angelus ille, in cujus medio est nomen Jehova, dicitur exacerbari posse, quo argumento conjicio niti Problematis auctorem; hoc enim cadere potest in quasvis S. S. Trinitatis personas. Nec tamen hoc concesso sequeretur, Sp. Sanctum esse angelos in plurativo numero, cùm de uno angelo in singulari numero sit mentio.

LI. Sequitur nunc alia classis locorum, in quibus unà cum Patre & Filio angelorum fit mentio, quos putat per septem Spiritus designari. *Loca illa sunt Apoc. I. 4. Gratia vobis & pax à Deo, qui est, & qui erat, & qui venturus est; & à septem Spiritibus, qui sunt coram throno ejus, & à Jesu Christo.* Similitèr & septem Spirituum fit mentio c. IV. 5. & V. 6. Hinc argumentum diversis modis videtur stringere velle. Idque primùm sub personâ Fr. Riberæ, Blasii Viegæ & Corn. à Lapide, qui agnoscant τὸ *stare coram throno* more loquen-

di

di Scripturæ esse subditorum & ministrorum, qui adstent parati ad capessenda exequendaque jussa ejus, cujus in conspectu stant, quique ideo per *septem Spiritus* h. l. intelligant *angelos septem* magnos, primarios, supremos Spiritus, vel archangelos principes aulæ cœlestis & inter cæteros dignitate excellentes, divinæ providentiæ circa ecclesiæ gubernationem ministros &c. p. 19. 20. Cum his dicit consentire Irenæum, Clementem Alexandrinum, Justinum, Origenem, Cyprianum, Auctorem Operis Imperfecti in Matthæum. His subjungit Salmeronem, Suarezium, alios Pontificios Doctores. Nos, quid Ribera, Blasius, alii Pontificii Doctores hoc in negotio sentiant, parum movet; nec etiam video, quare multum debeamus hîc affici auctoritate Patrum quorundam diffidentium tùm à se invicem tùm ab aliis, uti ipse confitetur *Auctor problematis*, dum dicit p. 22. *Per septem Spiritus loco Apoc. cap.* 1. 4. *Spiritum Sanctum intellectum volunt Iustinus, Origenes, Victorinus, Beda, Eucherius, Ioachimus Abbas, Rupertus Tuitiensis, Ansbertus, Haymo, Primasius, Aretas, Catharinus, Wizelius, Antiochus Brondus, Pererius, Gagnejus, Alfonsus, Conradus,*

qui

qui posteriores Pontificii sunt Doctores. Meum otium non fert, nec operæ pretium esse videtur auctores citatos introspicere, cùm nihil utilitatis hic ad lectorem redire posse videatur. Sed phrasin urget cum Pontificiis, quæ in loco illo non reperitur, neque enim ibi lego, Spiritus illos *stare coram throno*, sed, *esse coram throno*: ἃ ἐστιν ἐνώπιον τοῦ θρόνου αὐτοῦ. Coram throno Salomonis etiam regina Sabæ esse potuit, quæ tamen non stetit coram throno, eo saltem sensu, quo istud stare coram Rege vel throno regis significat illi ministrare, quo sensu angeli dicuntur alibi in scripturis coram throno Dei vel coram Deo stare. Patri appropriatur nomen Dei, quòd *ex ipso sunt omnia* 1 Cor. VIII. 6. *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos ad ipsum.* Nam ex Patre etiam Filius est, per *æternam generationem*, & Sp. Sanctus, per æternam spirationem. Et sanè, ut per septem Spiritus intelligantur hîc angeli, non permittit formula illa precationis, quæ reperitur isto in loco. Precatur enim Johannes gratiam & pacem non minus à septem illis Spiritibus, ac à Iesu Chtisto & à Deo Patre, qui dicitur ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Atqui non possumus precari gratiam, nisi ab eo, qui

est

est auctor gratiæ, qui solus est Pater ille luminum Jac. I. 17. frustra enim precaremur ab eo, qui non habet. Et ejusmodi precatio est invocatio, & cultus religiosus, quem angeli creati noluerunt suscipere à Johanne. Septem ergo illi Spiritus dicuntur Sp. Sanctus, qui hîc convenientèr admodum stylo prophetico, qui ex variis tropis & figuris est confectus; sub nomine septem Spirituum introducitur, ut vel numerus certus & definitus sumatur pro numero incerto & indefinito, vel intelligatur septiformis gratia Spiritus Sancti. Et non malè Grotius hîc observat: *Sed rectè omnia qui expendet, & conferet locum, qui infra* 5, 6. *ubi itidem Spiritus dicuntur* oculi Dei, *per quos oculos diximus in Zach.* 4. 10 *significari multiformem Dei providentiam, eò potius feretur, ut hîc existimet denotari septem illa velut membra divinæ providentiæ, quæ nominantur infra* 5, 12. & 7, 12. *Et sic erit ἓν διὰ δυοῖν. Optatur enim* pax à Deo & septem Spititibus *i. à Deo per septem hos modos operante. Firmat hanc interpretationem, quòd infra cap. 5. distinguuntur* Spiritus & angeli. Similia habet Paræus: *Septenario igitur perfectionis numero loquitur de uno Spiritu Sancto vel communi metalepsi effectorum pro causâ effundente septem,*

septem, hoc est, multifaria dona in Ecclesiam; vel quia B. Iohannes gratiam precatur septem Ecclesiis, quibus singulis unum eundemque Spiritum Sanctum, quasi septem in solidum tribuit.

LII. Videtur deinde ex aliis locis Scripturæ probare velle, quòd per 7. Spiritus in Apocalypsi sint intelligendi angeli, pag. 20. nempe ex *Tobia* 12, 16. *ubi dicuntur* septem angeli, *quorum è numero Raphaël etiam* angelus *dicitur*, cap. 5. 4. 5. Atqui hic auctor Apocryphus apud nos non magnæ admodum est auctoritatis, ita ut quod habet de 7. Angelis assistentibus, è quorum numero dicit esse Raphaëlem, possit videri pretitum ex somniis Judæorum. Et tantùm abest ut hic locus nos moveat, ut vel ex hoc ipso loco auctorem ejus libri convincamus falsitatis. Ita enim Junius: *Si unus hic locus exstaret ad revincendam libri istius impuritatem, mihi quidem satis futurus esset; nihil enim profecto in toto orbe terrarum magicum dici potest, aut hoc ex principiis magiæ petitum est, quorum doctores primarii ex Indiâ & Bactrianâ profecti cum Iudæis suum virus commutarunt. Nam statuunt illi angelos horarios, diarios, & alios cæli regionibus attributos, principes, ministros &c. ex quibus Zoroastres Bactrianus,* Me-

Menastor Indus & alii scelerum concinnatores suas magiæ observationes elaboraverunt. Atque hoc quidem vitio Iudæos fuisse non mediocritèr inquinatos ostendit Epiphanius tomo I. *Panarii, ubi de Pharisæis agit; & ipsorum quoque libri diurnæque observationes testantur, quibus diem Solis Raphaëli, diem Lunæ Gabriëli, diem Martis Sammaëli, diem Mercurii Micaëli, diem Iovis Izidkiëli, diem Veneris Hanaëli, diem Sabbati Kephariëli tribuunt, eosque dominos statuunt totius administrationis in diem illum necessariæ. Quamobrem ita statuimus, qui ex hoc libro veritatem petunt, aut se confirmaturos putant, eos perinde facere, atque si molem gravissimam statuminare velint arundine.* Tribuit enim Angelis honorem soli Christo debitum, cujus unius est, Deo hominum preces offerre, cum Deus eas gratas & acceptas habeat hoc unico & solo intercedente & mediante. Est enim solus sacerdos noster in æternum, qui semper apparet coram facie Patris pro nobis interpellans.

LIII. Sed relicto loco Apocrypho consideremus potius, si quæ ex Canonicis scripturis producit ad stabiliendam suam sententiam, quâ vult Apoc. I. 4. *per Septem Spiritus, qui sunt coram throno*, intelligi angelos.

gelos. *Apoc.* 4. inquit, *memorantur* septem lampades *c.* 3. septem stellæ angeli sunt septem *c.* 8. 2. 6. *seqq.* Vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ; & septem angeli, qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tubâ canerent &c. *Conf. cap.* 15, 16, 17, 21. *Zachar. cap.* 3: 8. 4: 7. *&* *Apoc.* 5: 6. *Oculi septem sunt Domini qui discurrunt in universam terram*, vel *Oculi septem sunt septem Spiritus.* Ex his locis quidam sunt paralleli loco Apoc. I. 4. de quo controvertitur, alii nullo modo. Paralleli sunt Apoc. IV. 5. ubi *septem lampades ignis dicuntur ardentes coram throno, quæ septem sunt Spiritus Dei*, item Zach. IV. 6. ubi dicitur, quod Zerubabel sit perfecturus domum Dei, *non strenuitate, neque vi, sed per Spiritum Dei*, & Apoc. V. 6. Sed his omnibus in locis non est sermo de angelis, sed de Spiritu Sancto, cujus septiformis gratia & gubernatio pro ratione septem Ecclesiarum hîc describitur. At reliqui loci paralleli non sunt. Cap. III. Apoc. Angeli septem sunt Ecclesiarum istarum gubernatores, adeoque homines. Apoc. VII. 2. agitur de septem angelis, quibus datæ sunt 7. tubæ, qui dicuntur stare coram throno, per quos

non

non necesse est septem illos Spiritus intelligere, de quibus Apoc. I. 4. cùm possit id sumi de septem modis executionis judiciorum divinorum, possint etiam intelligi angeli septem creati. Capp. 15, 16, 17, 21. de illis ipsis angelis agunt, sed ut habentibus septem plagas Dei. Et quoniam Cap. XXI. 9. unus ex illis angelis locutus dicitur Johanni, videtur probabilius fore, si per illos septem angelos intelligamus illa πνεύματα λειτουργικὰ, quorum operâ Deus sua judicia exsequi paravit. Zach. III. versu; non 8, sed 9. dicitur: *In lapidem unum septem* sunt *oculi*, quod nihil facit ad præsens negotium. Agitur de Christo manifestando mundo, qui *Lapis* hîc dicitur, sicut & Ps. CXVIII. 22. & Daniel. II. 34. In eum dicuntur conversuri se septem oculi, hoc est septiformis illa Ecclesia Novi Testamenti, cui ipse est revelandus. Sunt ergo hi oculi alii ab illis septem oculis, de quibus sermo est Apoc. V. Sed Auctor problematis loca, quæ citavit, non explicat nec urget. Citat tantùm auctores p. 21. dicitque, quomodo illi ista loca intelligant, & interpretentur, qui tamen inter se invicem non in omnibus conveniunt. Unde nescio, quo scopo illos adducat: si enim eorum

auctoritate consentiente velit suam sententiam confirmare, de consensu prius debebat constare; nec tamen consensu hoc sententia ejus reverâ stabiliretur, cùm pro nostrâ sententiâ contrarius consensus ab ipso p. 22. agnoscatur, quod & supra jam observavimus. Huc verò omnia, quæ usque ad 23. paginam ab illo urgentur, videntur facere, quòd, *si per Sp. Sanctum intelligantur angeli, facillimè omnes prædicti auctores conciliabuntur: imò eandem veritatem omnes dicere deprehendentur, qui nunc extremè dissidentes sententias tueri videntur*; quasi necessarium sit conciliari semper dissidentes inter se scriptores, & quasi possint conciliari auctores, qui contradictoria loquuntur; Protestantes enim omnes exceptis paucissimis, quos inter auctores dissidentes refert, per Sp. S. intelligunt tertiam Trinitatis personam, eundem essentiâ & naturâ Deum cum Patre & Filio, at qui angelos intelligunt, utique non per eos intelligunt Deum supremum & æternum. Mirum est, si sic inter me & se conciliationem non sit imposterum instituturus. Proponit porrò *§. 6. testimonia ex antiquissimis quibusque Ecclesiæ doctoribus collecta*, qui post Patrem & Filium omisso nomine Spiritus Sancti non raro memorent angelos:

los : sed irrito conatu & effectu. Nos enim in antecedentibus evicimus, non posse ex illis scripturæ locis demonstrari, Sp. S. & Angelos pro iisdem esse habendos. Omittimus igitur horum testimoniorum examen, cùm parum ad rem nostram faciant illa, sicque illa non inspecta planè præterimus, nisi quod non possimus sicco pede transire Macarium. In homil. 26. non longè à fine docet, in civitate sanctorum esse *regem & Deum Iesum, tyrannum verò Satanam, & velle Deum & angelos ejus habitare in regno, similitèr & diabolum & angelos ejus velle eum secum habitare.* Nec mentionem facit Patris, sed tantùm Jesu, quem Deum & regem appellat, non à Deo distinguit, & angelorum ejus, item diaboli & angelorum ejus. Miror ergo quò tendat illa exclamatio Auctoris Problematis: *En Trinitatem!* cùm tantùm unius Jesu & angelorum ejus faciat mentionem. Et injuriam facit Macario, qui illum dicit per angelos intellexisse Sp. S., cùm passim in homiliis doceat, quòd glorificandus sit Pater, Filius & Spiritus Sanctus; vide finem homiliæ 3. Δοξάζωμεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. & homil. 6. περὶ δὲ τοῦ ἐνδύματος ὃ φοροῦσιν οἱ χριστιανοὶ, δηλονότι αὐτὸ τὸ πνεῦμα ἀμφιάζει αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς

καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. Et Auctor Problematis miram Trinitatem fingit inter eos, qui totâ naturâ differunt, ita ut Angeli tertiam personam S. S. Trinitatis juxta ipsum constituant, quâ ratione vel Creator in eundem ordinem cum creaturis redigitur, vel creaturæ finitæ in dignitatem & excellentiam divinam summâ cum Creatoris injuriâ elevantur.

LIV. Sequitur §. 7. novum idque IV. argumentum ad probandum, Sp. S. denotare Angelorum genus, quod sumit ex Apoc. XXII. 1. *Ostendit mibi purum fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de Sede Dei & Agni.* Per illum probat p. 29, 30. aliquot argumentis, esse intelligendum Spiritum Sanctum, de quo Orthodoxi non dubitant, sed non admittunt, *quod per flumen istud etiam* sancti Angeli indicentur, quod sibi *verisimile videri* dicit: Probat istud 1. *quia pluralitèr dicuntur flumina aquæ vivæ Ioh.* 7: 38. *Es.* 44: 3. *Eccles.* 24: 31. *pluralitèr etiam dicuntur aquæ vivæ civitatis Hierusalem Zach.* 14: 8. *Es.* 44: 3. *Apoc* 7: 17. *Hinc concludi posse videtur Flumen purum aquæ vitæ constare ex multitudine Spirituum Sanctorum.* Sed hæc probatio non differt à primo argumento, quod refutavimus §. 40. ubi etiam

etiam eundem locum Joh. VII. 38. adduxerat, quem ibidem explicuimus de Sp. Sancti donis, quæ in mentibus hominum efficit & producit, ut mirandum sit, hunc Auctorem toties eâdem voluisse oberrare chordâ. Nullo vero modo probabile est, *flumina aquæ vivæ*, quæ dicuntur *fluere ex ventre ejus*, *qui crediderit* in Christum, denotare angelos, cùm id nullâ ratione queat intelligi. Sic ergo dicendum, ex ipso tanquam ex fonte prodituros angelos, id enim infert vis phraseos, *flumina ex ventre alicujus fluere*; quod si admittas, dicendum foret, credentes habere auctoritatem in angelos, ut eos possint mittere, quò voluerint. At commodè intelligitur, si explicetur de donis illis, quæ collata sunt credentibus in usum & ædificationem Ecclesiæ. Qui enim credebant in Christum, illi accipiebant ea Sp. S. dona, quæ ex iis erant redundatura ad usum aliorum & ædificationem, quâtenus illis donis erant instruendi & sic ad Christum adducendi; quò faciebant donum linguarum, donum sanationum & imprimis donum prophetiæ. Locus Es. 44: 3. etiam antehâc adductus fuit & visus à nobis §. 40. Eccles. 24: 31. præterquam quod sit auctoris apocryphi, Sapientia sic loquens introducitur: *Irrigabo*

hortum & inebriabo areolam & ecce facta est mihi fossa in fluvium, & fluvius factus mihi est in mare. Quibus verbis nihil aliud desi-gnatur, quàm quòd Sapientia illa fructus produxerit plurimos ex horto suo, maximo proventu & augmento, quę nihil attinent ad angelos. Zach. XIV. 8. *Et erit in die illo, exibunt aqua viva ex Hierosolyma: media pars illarum ad mare anterius, & media pars illarum ad mare posterius. Æstate & hyeme id fiet;* quæ iterum de donis Sp. S. in ecclesiam effundendis, quæ in ubertate agnitionis Dei, fidei, charitatis consistunt, intelligi debent, ut nihil attineat hîc de angelis somniare. Et absurdius adhuc Apoc. 7: 17. ad angelos trahitur: *Agnus, qui est in medio throni pascet & ducet eos ad vivos fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Nam ducuntur ad pastum, de quibus hîc est sermo, ducuntur ad refectionem, quæ fit cibo & potu, adeoque agitur de cibo & potu Spirituali, quem esse angelos ex analogiâ formularum loquendi in scripturis receptarum dici non potest. Christus suum cibum dicit, *facere voluntatem Patris sui*, hic etiam noster cibus est; hæc autem est voluntas Dei, quam à nobis vult præstari, ut Christo tanquam capiti nostro constantèr & indivulso nexu adhæ-

rea-

reamus, quod dum facimus, ab illo pascimur & potamur ad vitam æternam.

LV. Probat *id 2. auctoritate Origenis,* quem insigni cumulat laude, dicitque, illum per *flumina aquæ vivæ Ioh.* 7: 38. *manifestè interpretari Angelicas virtutes Homil.* 17. *Num.* Quæ qui contulerit cum iis, quæ hîc Origenes habet, mirabitur certè hujus hominis præcipitantiam, quâ, verbis auctorum obitèr & cursim fortè inspectis, ausus est illis sententias attribuere, de quibus non cogitârunt. Sic habent verba Origenis in medio ferè istius homiliæ, *Isti enim Paradisi super flumina similes & cognati sunt illi Paradiso, in quo lignum vitæ est. Flumina verò possumus vel scripturas euangelicas atque Apostolicas accipere, vel etiam angelorum, vel cœlestium virtutum erga hujusmodi animas adjutoria: rigantur enim ab illis & circumdantur, atque ad omnem scientiam & agnitionem rerum cœlestium nutriuntur.* Manifestum est, ipsum in his loqui de fluminibus paradisi, illa tamen dubitantèr explicare vel de Scripturis, vel de adjutoriis angelorum & cœlestium virtutum. At locum Joh. 7. in seqq. alitèr & in oppositione ad hæc explicat in iis, quæ immediatè sequuntur. *Quamvis & Salvator noster fluvius sit qui lætificat civitatem Dei & Spiritus San-*

ctus non solum ipse fluvius sit, sed & iis, quibus datus fuerit, flumina de ventre eorum procedant, & Deus Pater dicat, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, ex quo scilicet fonte ista flumina procedunt. His igitur inundata fluminibus tabernacula Israël fiunt tabernacula, sicut sunt illa, quæ fixit Dominus. Ex quibus apparet, flumina Paradisi illi varia significare, Scripturas, angelorum adjutoria, item Deum Patrem, ut & Spiritum Sanctum, quæ omnia ut diversa & distincta proponit. Nullibi verò dicit, vel angelos esse flumina, multo minus Joh. 7. per flumina intelligi angelos. At inquit Auctor problematis: *Quia verò Iohannes d. l. apertè de fluminibus istis aquæ vivæ dicit*, Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; *inde mihi videtur luce meridianâ clarius Origenem sensisse, συνωνύμως prædicari Spiritum Sanctum & Angelicas virtutes.* Quæ adhuc meam admirationem augent. Quomodo enim luce meridianâ clarius esse potest, eadem esse illa apud Origenem, quæ Origenes ut diversa observat? Putavit Origenes, uti ex ipsius commentariis observare licet, Scripturam plures habere sensus mysticos, idque hic applicat fluminibus Paradisi, diversos eorum sensus adducens: nisi ergo quis

quis putaverit, *diversa* esse *eadem*, adeoque, *diversa non esse diversa*, non poterit dicere, Origenem sensisse, *ἀνωνύμως* prædicari Spiritum Sanctum & Angelicas virtutes. Quod jam adjungit Auctor pag. 32. *per aquas Gen. I. 6 7. 8. angelos intelligere multos Scriptores Ecclesiasticos*, quorum quosdam nominat, alios etiam allegat notatis locis, id cum ad præsens nostrum negotium nihil faciat quicquam, suo relinquimus loco.

LVI. Probat 3. sed eâdem soliditate ut antea: *Fluvius ignis procedens ex sede Dei Daniel 7: 10. describitur* per millies mille ministrantes, & myriadem myriadum stantem: *& Pseudo-Dionysius Areopagita de Cæl. Hierarch. c. ult. Fluvium hoc loco adaptat angelis Dei.* Attende quæso, quisquis es Auctor Problematis, & circumspice prius omnia, antequam præcipites judicium. Daniel cap. VII. 10. distinguit planè fluvium ignis, ab illis qui stabant coram throno, à millies mille ministrantibus & à myriade myriadum stante. Quare ergo tu confundis, quæ Sp. Sanctus expressè distinguit? Sic habent verba: *Fluvius ignis manabat & exibat ab ipso, ab eo nempe, qui dicitur* עתיק יומין permanens dierum, *millies milleni serviebant ei, & myrias myriadum*

sta-

stabant coram eo. Quidni ergo potius per fluvium ignis intelligamus Spiritum Sanctùm, qui procedit à Patre & à Filio, planè contradistinctum ab angelis, qui dicuntur ei servire? vel, si id nolueris, interpretemur fluvium ignis non de aliquâ substantiâ, sed de actione Dei, de exsecutione judiciorum Dei, quæ sunt instar fluvii ignis, quæ omnia prosternunt & rapiunt, ita ut nulla vis eis resistere possit, & quæ Deus sæpe exsequitur per angelos, qui ipsi ministrant. Sed videtur Auctor ille prius excogitâsse illam opinionem, quòd per Sp. Sanctum in Scripturis possint intelligi angeli, eam sic inventam valdè amâsse eâque delectatum, hocque amore raptum quævis quæsivisse, quæ quovis modo videri possent factura ad eam stabiliendam, cujus varia jam in antecedentibus vidimus specimina & postea videbimus. Sic hîc arripit dictum auctoris, quem ipse Pseudo-Dionysium Areopagitam agnoscit, cujus propterea non magna potest esse auctoritas, quem vix videtur expendisse, cùm verba ipsius hanc sententiam nihil juvent. Sic ille cap. ult. de cœlæsti hierarchiâ §. 9. *Considerandum modo quid sibi velint flumina, rotæ ac currus, quæ cælestibus essentiis* (per quas procul dubio an-

angelos designat) *adjuncta perhibentur. Ac flumina quidem ignea divinos illos latices significant, largissimam illis ac perennem inundationis copiam suppeditantes, vitalisque fœcunditatis altores.* Quæ sic explicat Pachymeres ejus Paraphrastes: *Ignea proinde flumina divinos rivos declarant, quæ largum perennemque fluxum cœlestibus virtutibus suppeditant. Cùm autem ignis sit vivificus, non quidem in quantum ignis est, sed in quantum calidus & nutritivus existit, divini quoque æstus istiusmodi atque inundationes vivificant simul ac nutriunt fœcunditatem angelorum.* Considerat flumina ignea tanquam adjuncta cœlestibus essentiis sive angelis, & quidem talia, quæ vitalem eorum fœcunditatem alant: distinguit ergo planè ab angelis, sicut is qui rem conservat ab ipsâ re conservatâ distingui solet. Videtur ergo per illa flumina ignea denotare vim Spiritus Sancti angelos conservantem, ipsisque vires ad agendum sufficientes suppeditantem.

LVII. Probat 4. ex testimonio Titi Bostrensis 3. contra Manichæos: *Quid commune est Spiritibus cum fluminibus? quis angelus, quæ virtus, quæ dominatio, quis principatus, quæ potestas ad lavacrum descendit, & aquas experta est? Quòd si neque*

po-

potestas, neque thronus in aquas descendit, his subjicit Auctor problematis vocem *&c.* unde fit ut Lector sensum Titi non possit cognoscere. Ego verò ubi inspexi Titum illum & verba ejus reperi in fine libri, nescivi an impudentiam Auctoris, an supinam incogitantiam ejusdem potius accusarem, qui citare ausus est pro suâ sententiâ verba, quæ nihil minus docent, quàm hoc ipsum cujus rei gratiâ ea producit. Disputat Titus hoc in loco contra Manichæos, quibus adscribit, quod dicant: *Hominem à diabolo formatum, atque animam quidem à Deo, esse tamen corpori à diabolo aptatam, & factum hominem, qui substantiam quidem corporis ex substantiâ diaboli acceperit, substantiam verò animæ tanquam spolium & exuvias ex Deo sumserit.* Argumentum contra illos vibrat ex eo, quod sic sit dicendum, etiam Christi corpus formatum à diabolo, vel negandum, ipsum verum corpus habuisse. Probat autem, Christum verum corpus habuisse, inter alia argumenta etiam ex eo, quòd in Jordane fuerit baptizatus. Sic habent verba: *Salvator autem baptismo etiam in Iordane abluebatur, & aquis aspergebatur, quis erat? & quid erat? Si enim corpus non gestabat, neque corpus habebat.* Nunc sequuntur ea, quæ citat Auctor

Pro-

Problematis: *Quid commune est Spiritibus cum fluminibus, quis angelus, quæ virtus, quæ dominatio, quis principatus, quæ potestas ad lavacrum descendit, & aquas experta est? quòd si neque virtus neque potestas, neque thronus in aquas descendit, extra quæstionem posita est res.* Ex quibus apparet manifestè cuilibet attendenti, opponi Christi corpus rebus Spiritualibus, quales sunt angeli, sive virtutis, sive dominationis &c. nominibus appellentur, adeoque Titum concludere, Christum habuisse verum corpus, eò quod fuerit baptizatus, cùm angeli & spiritus nequeant baptizari vel in aquas descendere, nixum illo communi axiomate ex naturæ lumine noto: *Tangere vel tangi nisi corpus nulla potest res.* Non ergo Titus per flumina denotavit angelos, ad quod probandum hæc verba adducuntur, sed è contrario flumina & angelos inter se quàm maximè opposuit, tanquam talia, quæ nihil inter se invicem habeant commercii. Fidamus Auctoris istius citationibus non inspectis ipsis scriptoribus, unde ea depromsit.

LVIII. Subjungit loco probationis 5tæ: *Vox procedere* ἐκπορεύεσθαι *etiam in sacris literis de Angelis prædicatur, ut Zach.* 2:3, sic citat juxta versionem vulg. cum sit vers. 7. *Et ecce an-*

angelus loquens ad me exibat, & angelus alius exibat obviam ei. Et dicebat ad illum, Curre, loquere ad puerum hunc. Scilicet hæc probatio procedet, quando argumentum affirmativum in ſecundâ figurâ erit legitimum; Spiritus Sanctus ἐκπορεύεται exit: Angeli ἐκπορεύονται exeunt. Ergo Angeli ſunt Spiritus Sanctus. Omnis qui miſſus eſt exit ab eo à quo mittitur: At Pater mittit Filium & Spiritum S. qui proinde exeunt ab ipſo; mittit etiam Pater angelos, ſed alio modo ac Filium & Sp. Sanctum; hujus miſſionis fundamentum eſt æterna & ineffabilis generatio & ſpiratio, at illius divina juſſio, quæ in tempore ipſis obvenit. Si ergo Zach. 11: 7. intelligamus cum ipſo per angelos illos duos angelos creatos, apparet quàm infirmum ſit iſtud argumentum; ſin duas perſonas S. S. Trinitatis cum Cl. Coccejo, Filium & Sp. Sanctum, minus adhuc habebit roboris; ſicque quocunque ex latere adſpiciatur undique ejus fragilitas pellucebit.

LIX. Pergamus ad V. argumentum, quod §. 8. proponit, cujus vis in eo conſiſtit: Spiritus erroris ſeu mendacii, Satanas, calumniator &c. collectivè ſumitur pro multitudine malorum angelorum: Ergo eâdem ratione capiendæ ſunt voces oppo-

ſitæ,

sitæ, Spiritus veritatis, παράκλητος, Consolator seu advocatus & Spiritus Sanctus. Adjungit loca Scripturæ, in quibus cognominationes illæ occurrunt. Adducit p. 33. Clement. Rom. in Constit. & Ignat. ad Philadelphienses, qui tamen nihil aliud docent, quàm quòd Sp. Sanctum Spiritui malo opponant. Addit Auctor Problematis p. 34. *Reverâ videri opponi impios piis, ut & obsessos à Spiritu impuro Prophetis (qui visiones viderunt) obsessis à Spiritu Sancto.* Comprobat istam oppositionem p. 34. 35. 36. testimoniis Tertulliani, Origenis, Auctoris operis imperfecti, Lactantii & aliorum. Et p. 35. denuo repetit vim sui argumenti: *At Spiritus immundus multiplex est in subsistentiis: Ergo & Spiritus Sanctus.* Quæ profecto misera est admodum consequentia & nullarum planè virium. Eodem genere consequentiæ licebit quoque colligere, voces *Deus* & *Filius Dei I. Christus* esse collectivè accipiendas. Opponitur enim Deus Diabolo, & Satanæ, ubi voces illæ collectivè accipi possunt. Sic Zach. III. 1. 2. *Et fecit me videre Iosuam Sacerdotem maximum stantem coram Angelo Iehova, & Satanas stabat ad dextram ejus ad eum infestandum: Et dixit Iehova ad Satanam: Increpet Iehova te, Satanas:*

tanas: increpet, inquam, Iehovah te, qui eligit Hierosolymam. Rom. XVI. 20. *Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò.* Sic & opponitur Filius Dei, sive Christus, Diabolo, ubi vox illa planè collectivè accipitur 1 Joh. III. 8. *Ad hoc manifestus factus est Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.* Sed quoniam nos antea §. 26. de hoc argumentandi modo egimus, ejusque vitia ostendimus, lectorem nostrum eò ablegamus. Tantum hîc circa testimonium Origenis observamus, quòd, cùm ille, prout citatur p. 35. Tomo 15. in Matth. reprehendat hæreticos, quòd *Spiritus erroris & dæmonia magno Paracleti nomine appellent*, satis hoc loquendi modo videatur demonstrare, se per Paracletum non intelligere creaturam, adeoque Paracletum nolle exponi collectivè sive numero multitudinis; ne nunc repetam ea, quæ in superioribus ex Origene adduximus, quibus manifestè testatur, se Spiritum Sanctum pro Deo non pro creaturâ habere.

LX. Proponit §. 9. argumentum VI. non majoris ponderis, quàm prius fuit p. 36, 37. *Qui Actor.* 8: 26. *dicitur* Angelus Domini *N.* 29. Spiritus & *N.* 39. Spiritus Domini *audit. Est autem communis sententia, Spiritum Sanctum esse intelligendum,* *ubi-*

ubicunque Spiritus *vel ſimpliciter*, *vel* Spiritus Dei *aut* Domini *dicitur*. Sic eſt, communis ſententia eſt, (non ideo tamen vera quia communis eſt, ſed quia in Scripturis eſt fundata) quòd Spiritus Sanctus ſit intelligendus, ubicunque Spiritus vel ſimpliciter, vel Spiritus Dei aut Domini dicitur; ſed eadem illa communis ſententia etiam hoc pro certo habet, quòd ille *Spiritus Sanctus*, qui vel ſimpliciter *Spiritus* vel *Spiritus Dei* aut *Domini* dicitur, ſit verus, æternus & ſummus Deus, quæ propterea non poteſt cenſere, eum denotare Angelos. Neque neceſſe eſt, ut dicamus, de eodem ſermonem eſſe Act. 8:26. ubi Angelus Domini dicitur, & verſ. 29. & 39. ubi Spiritus aut Spiritus Domini vocatur, cùm diverſæ poſſint deſignari perſonæ. Angelus Domini juſſit Philippum proficiſci in viam, quæ Hieroſolymis Gazam ducit: poſtea demùm, cùm jam eò ſe contuliſſet, Spiritus juſſit ipſum accedere ad currum, in quo ſedebat Eunuchus, qui alius potuit eſſe ab iſto angelo; & phraſis illa videtur deſignare, quòd Spiritus ille intrinſecus moverit Philippum interno inſtinctu, eo modo, quo Spiritus Sanctus ſolitus eſt agitare Prophetas; actio etiam alia fuit Spiritus rapientis Philippum, ab actione angeli,

 quæ

quæ in solâ jussione proficiscendi fuit absoluta. Beza observat: *In uno codice legimus* Πνεῦμα ἅγιον ἔπεσεν ἐπὶ τὸν εὐνοῦχον, ἄγγελος δὲ Κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον; *quam lectionem Rabanus in glossâ Ordinariâ annotavit*; & MS. illum veterem sic habere, & sic citare ipsum Hieronymum Dialogo Orthodoxi & Luciferiani, observat Grotius; hæc lectio si obtineret, manifestius adhuc appareret, Angelum & Spiritum à se invicem posse distingui. Saltem demonstrandum incumbebat Auctori Problematis, eundem esse qui Angelus dicitur vers. 26. cum illo, qui Spiritus aut Spiritus Domini appellatur vers. 29. & 39. quod supponit quidem, non probat. Quod si probâsset, nondum tamen obtineret, Sp. Sanctum esse angelos, cùm hîc non plurium, sed unius tantùm angeli fiat mentio; sit jam Sp. S. idem cum illo angelo Domini, dicam illum esse angelum increatum, cùm Sp. S. sit increatus, quippe æternus & supremus Deus, uti pluribus initio hujus tractatus est evictum; qui tamen potest dici angelus sicut & Filius Dei, quia personæ illæ duæ à Patre mittuntur. Fuerit jam Didymus in illâ sententiâ, ut Spiritum illum Domini intellexerit de angelo creato, non tamen inde sequitur, quòd putaverit, Spiritum Domini, ubi-

ubicunque in Scripturis memoratur, denotare angelum, multo minus, per Spiritum S. intelligi genus angelorum, quæ Auctoris problematis est sententia. Et nihil certius est, quàm Didymum de Spiritu Sancto rectè sensisse, cùm habeat illum pro Deo, ejusdem planè naturæ, cujus est Pater & Filius, prout apparebit ei, qui initium lib. 3. de Spiritu Sancto legere voluerit. Neque dubitandum est, quin Didymi, quo præceptore usus fuerat Hieronymus, eadem de Sp. Sancto fuerit sententia, quæ & Hieronymi. Quod autem Hieronymus à cogitato opere de Sp. Sancto destiterit, hujus rei hanc rationem reddit in præfatione, quòd *Pharisæorum conclamaverit senatus, & nullus scriba vel fictus, sed omnis, quasi indicto sibi prælio doctrinarum, adversum se imperitiæ factio conjuraverit.* Unde tamen non puto necessariò colligendum, quod existimat Auctor problematis, *vel Hieronymum, vel clerum Romanum illo tempore malam de Spiritu Sancto opinionem fovisse,* quum verba illius non necessariò de toto clero Romano sint intelligenda, nec de dissensu vero in doctrinâ, sed de calumniis adversariorum, & insidiis eorum, qui cum Ariani essent, falso nomine se Origenistas nominabant, possint exponi.

LXI. Aliud habet argumentum §. 10. quod VII. fuerit, in quo multa supponit & mixta habet vera cum falsis. *Lex Mosis*, inquit, *scripta est digito Dei* Exod. 31. Deut. 9. Hoc admittimus, verba enim sunt Scripturæ. *Digitus autem Dei habetur ab omnibus pro Sp. Sancto*. Quod verum non est, si eo sensu id intelligas, quasi ubicunque in Scripturis mentio fit digiti Dei, per illum omnes Theologi Orthodoxi intelligant Spiritum Sanctum. Per digitum Dei intelligi Sp. Sanctum Luc. XI. 20. *Si verò per digitum Dei ejicio dæmonia, pervenit utique regnum Dei ad vos*, patet ex collatione cum Matth. XII. 28. *Si verò ego per Spiritum Dei ejicio dæmonia, nonne pervenit regnum Dei ad vos?* Sed quando Exod. VIII. 19. Magi dixerunt, productionem pediculorum כנים esse digitum Dei, non intellexerunt Sp. Sanctum, unde non existimant Theologi, hoc in loco per digitum Dei designari Spiritum Sanctum; sed ibi vox digiti Dei usurpatur ad denotandam Dei immediatam actionem ab infinitâ ejus virtute & omnipotentiâ productam. Sic quando lex Mosis scripta dicitur digito Dei, non intelligitur Sp. Sanctus per digitum Dei, sed immediata & divina operatio, quâ impressit tabulis illis lapideis suâ omni-

omnipotentiâ & virtute illam Scripturam, sive characteres, quibus lex Dei decem verbis comprehensa exprimebatur. Usitata autem hîc est Synecdoche agnoscenda, ut digitus Dei dicatur pro digitis, sive, pro manu Dei, quod exinde patet, quia cœli, qui dicuntur opus digitorum Dei Ps. VIII. 4. vocantur opus manuum ejus, Ps. XIX. 2. quæ manus Dei recepto in sacrâ paginâ loquendi modo potentiam Dei designare solet. Citat mox Auctor problematis *Cyprianum lib. de Spir. S.* (*vel quisquis est ejus auctor*) qui dicat: *Factum est mirabili dispensatione superni judicii, ut Lex, quam Sanctus scripserat Spiritus, deleretur*, ex quo loco patet, sensisse illum auctorem, quòd digitus Dei, quo Lex Mosis scripta est, habeatur ab ipso pro Sp. S.; quod nihil facit ad nostrum negotium, tantùm ostendit, non omnes convenire in explicatione Exod. 31. & Deut. 9. Addit *lib. 3. ad Quirin.* 10, ubi dicat: *Spiritum S. Mosi apparuisse in monte Sina*, quod nihil nobis incommodat. Quando enim apparet Deus, apparet Sp. Sanctus, quia illæ tres personæ sunt unus idemque Deus. Sed videamus, quid tandem conetur conficere. Nempe inquit p. 38 *Ille dicitur Angelus, qui in monte Sina Mosi apparuit Act.* 7. 38. *imò*

Lex Mosis tradita est ministerio Angelorum Act. 7. 53. Galat. 3. 19. quod confirmat Cyprianus in quâdam epistolâ. Citat etiam OEcumenium. Quæ tandem Conclusio ? *Ergo digitus Dei, vel Spiritus Sanctus sunt Sancti Angeli.* Nos observamus, Scripturam accuratè distinguere Angelum illum, qui est Legislator, ab iis, qui sunt illius ministri. Angelus Legislator est is, qui Angelus Jehovæ dicitur, & apparuit Mosi Exodi III. 2. qui Jehova dicitur vers. 4. & Deus, item Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi vers. 6. qui jussit Mosen, ut educeret populum ex Ægypto vers. 10 qui hoc signum statuit Mosi, quòd Deo inservituri sint ad montem Sinai vers. 12. quod factum legitur Exodi XXIV. Is ergo est, qui Act. VII. 38. legem tulisse dicitur. Sic & Dei adventus promissus fuerat Exod. XIX. 9. *Ego*, dicebat Jehova, *veniam ad te in densâ hâc nube, ut audiat hic populus cùm alloquar te.* Angelus ille Deus sive Jehova Deut. XXXIII. 2. *venit ex myriadibus Sanctitatis*, hoc est, medio angelorum Sanctorum, cinctus Sanctis angelis; hi ministri fuerunt istius Angeli, qui Princeps est exercitus Dei & qui est ipse Jehovah & legislator; unde Lex lata dicitur per Angelos Gal. III, 19. qui & vindi-

ces

ces ejus fuerunt constituti, & Angelo illi fœderis omne ministerium, quod ab iis postulabat, exhibuerunt. Digitum Dei, quo scripta est Lex in tabulis lapideis, nullibi dicitur fuisse angelos, sed Dei virtutem & potentiam, sicut Exod. VIII. 19. digitus Dei eam designat. Si verò quis per digitum Dei, quo scripta est Lex, velit designare Sp. Sanctum, nondum tamen poterit conficere, Spiritum Sanctum esse Sanctos Angelos. Non enim procedit ratiocinium Auctoris problematis, quod habet p. 38. *Quòd autem* Digitus Dei *etiam synecdochicè, numero singulari pro plurali posito dicatur, clarissimè apparet in Ps.* 8: 4. *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*: (hactenus quidem rectè, quatenus, ut supra annotavimus, digitus Dei pro digitis, h. e. manu Dei sumitur, sed quæ sequuntur, gratis sumit:) *id est, angelorum: nam mundum per Verbum angelorum ministerio dispositum sentiebant antiqui. Hieronymus verò & h. l. per* digitos *intelligit* Spiritum Sanctum. *Ratio autem nominis quâ* angeli *dicantur* digiti Dei, *hac videtur commodè dari posse, quia Angeli sunt virtutes Dei, per quas operatur ipse Deus.* Hîc autem assumit pro certo quod est falsissimum: *cælos esse opera angelorum.* Quid Veterum quidam sense-

rint, quorum tamen nullum hîc allegat, parum noſtrâ refert, nec enim cum Veteribus hîc diſputamus.

LXII. Si credit Auctor problematis, angelos eſſe creaturas, non debet illis opus Creationis aſſignare. Creaturæ enim quovis momento dependent à Creatore, nihil habent niſi quod perpetuò accipiunt ab ipſo, vires earum, omnis virtus, omnis potentia eſt dependens planè; nullam ergo habent ad creandum: ea enim independens ut ſit oportet; per eam datur & confertur omnis realitas, quam habet res, quæ creatur: quod autem continuò totam ſuam realitatem accipit aliunde; quomodo conferat alteri omnem realitatem intelligi nequit. Sed & angeli ſi poſſent creare res alias, eas quoque poſſent conſervare, cùm Creatio & Conſervatio ejuſdem potentiæ ſit opus, & tantùm ratione diſtinguantur: at ſi poſſent res alias conſervare, poſſent ſibi ipſis quoque ſufficere ut porrò ſint; quod ſi poſſent, nihil obſtabit, quo minus etiam à ſe ipſis poſſent exiſtere, & ſic poſſent eſſe Deus. Creatio ergo ita connexa eſt cum divinitate, ut nulli alii, qui non eſt Deus, aſſignari queat. Ex Creatione cœli Deus vult colligi à gentibus: cùm dii ſui, quos colebant, non fece-

ce-

cerint cœlos, eos non esse veros Deos; pro certo ergo habet, Creatorem cœlorum non posse esse, nisi verum Deum, adeoque, Creationem non posse assignari angelis. Legimus Jobi XXXVIII. 6, 7. quando fundata est terra, cecinisse & acclamâsse Deo angelos, qui nomine *stellarum matutinarum & filiorum Dei* exprimuntur; non legimus, illos terram fundâsse, unde nec cœlorum creatio iis assignari potest. E contrario creatio cœli & terræ in solidum Deo assignatur in Scripturis. Jer. X. 11. *Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, peribunt à terrâ.* Es. XL. 26. *Tollite in altum oculos vestros, & videte, quis creaverit illa; qui educit in numero exercitum eorum, omnes eos nomine vocat.* Neque verò Angelis hîc usus est Deus tanquam suis instrumentis, quod fortè vellet Auctor problematis; nec in Creatione, in actione illa omnipotente, instrumentis locus esse potest. Instrumentum à principali causâ dirigitur & adhibetur ad perficiendum id quod jam est, cui modificationem aliquam inferre potest, sed ubi nihil est, in quod agat instrumentum, non potest intelligi ejus usus. Quid verò ageret instrumentum in nihil? Si Deus producit ex nihilo, id fit in momento, *Dixit & facta sunt*; nullo molimine hîc opus

opus est: nullum ergo potest intervenire instrumentum. Dum Deus agit, statim res ipsa est; vocat ea quæ non sunt ac si essent; omnipotens ejus jussum momento ex nihilo facit aliquid; jam res facta est, antequam instrumento possit esse locus, qui illic concedi tantùm potest, ubi res successivè producitur. Si Hieronymus per digitos Dei, quorum opera sunt cœli, intellexit Sp. Sanctum, non ergo Spiritum Sanctum habuit pro angelis. Virtus Dei est ipse Deus, non ergo angeli; potest illa in numero plurativo dici *virtutes*, quâtenus varia sunt in quæ operatur, sed per illas non possunt intelligi Angeli. Possunt illi dici virtutes, non quia Dei sunt virtutes vel virtus, sed quoniam fortes sunt robore, & quoniam eorum potentia magna est, quæ sic virtutibus potest æquipollere.

LXIII. Quod annotatur ad hunc §. 10. ad firmandum argumentum, quod in illo urserat, non majorum est virium. Sic ille: *Cùm in præcedenti argumento demonstratum sit ex Act.* 7. 38. 53. *Gal.* 3. 19. *Legem per Angelos fuisse datam: Isti autem Heb.* 3:7. 9: 8. 10: 15. *coll. cum* 1 *Pet.* 1: 11. Spiritus Sanctus *appellantur: ex eo evidenter apparere videtur, Spiritum Sanctum Angelos esse. In quem sensum Esai.* 63: 9. 10.

11.

II. JEHOVA *cum Iudæis anxius fuisse, nec non Angelum faciei ipsius, illos per solam charitatem servâsse &c. ipsosque nihilominus Spiritum illius Sanctum contristâsse, & Iehovam suum Sanctum Spiritum inter illos constituisse. Quod itidem arguit eum, qui versu* 10. *Spiritus* JEHOVÆ *Sanctus appellatur, nullum fuisse præter* Angelum ipsius faciei, *sive, quem ad sui ministerium, quasi præcipuum inter reliquos Angelos coadjutores ministrum, adhibuit.* Supponitur, non probatur, angelos appellari Spiritum Sanctum in locis citatis Heb. 3:7. & cæteris. Heb. III. 7. *Propterea sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si audiveritis vocem ejus Ne obdurate corda vestra sicut in exacerbatione in die tentationis in deserto &c:* probabile non est, Sp. Sanctum denotare angelos. Respicitur procul omni dubio ad historiam illam, quæ describitur Num. XIV. ubi Deus juravit, eorum, qui nati fuerant 20. annos & ultra, cùm educerentur ex Ægypto, nullum intraturum in terram Canaan, solo Caleb & Josuâ exceptis, prout legere licet vers. 22, 23, 24, 28, 29, 30. Qui ergo hæc dixit, fuit Jehova vers. 20, 21, 28, non fuerunt Angeli, de quibus nulla fit mentio in istâ historiâ: Inde ergo rectè colligitur, Sp.

San-

Sanctum esse Jehovam., sicque ille locus tantùm abest ut sententiæ *Auctoris* velificetur, ut eam potius planè evertat. Heb. ix, 8. *Hoc significante Sp. Sancto nondum manifestatam esse viam Sanctorum, dum stationem haberet tabernaculum prius.* cap. x. 15. *Testatur verò nobis etiam Spiritus Sanctus, postquam enim dixißet: Hoc est testamentum quod disponam cum iis post dies istos &c.* in quibus locis cùm mentio fiat Sp. Sancti, nulla angelorum, nescio, quâ tandem consequentiâ possit inferri, Sp. Sanctum esse angelos: nam & 1 Pet. I. 11. cum quo hos vult conferri, de Sp. S. tantùm est sermo, non de angelis. Dicitur ibi de Prophetis, quòd *scrutati fuerint, in quod & quale tempus Spiritus Christi, qui in illis erat, præsignificaverit passiones Christi & gloriam post illas futuram.* Nisi forte putavit Annotator istam gubernationem Israëlitarum in deserto fuisse factam per solos angelos, non fuisse eorum gubernatorem ipsum Jehovam, quod planè repugnat historiæ Israëlitarum in deserto rectorum, quæ Jehovam introducit Regem & gubernatorem populi Israëlitici, qui non in omnibus, sed tantùm in quibusdam usus fuisse dicitur operâ angelorum. Si enim Jehova fuit Gubernator Israëlitarum, & angeli tantùm in quibusdam

dam ejus fuerunt ministri, dum Spiritui S. ista gubernatio assignatur in locis ad Hebræos, non magis inferri potest, Sp. S. esse angelos, quàm Sp. Sanctum esse Jehovam, cùm præsertim illa ipsa, quæ non potuerunt dicere angeli, quæ potuit dicere solus Jehova, Spiritui Sancto adscribantur, uti in antecedd. est abundè demonstratum. De loco Es. LXIII. 9, 10, 11. actum est superius §. 43. & 48. ubi ostensum, Angelum faciei esse ipsum Jehovam, non angelum creatum. Introducuntur ibi 3. personæ divinæ S. S. Trinitatis, Jehovah, cujus benignitates commemorat Propheta, Angelus faciei Dei, & Spiritus Sanctitatis Dei. Angelus faciei dicitur eos servasse, eos vindicâsse & bajulavisse omnibus diebus seculi, Spiritui autem sanctitatis dicuntur rebellâsse & eum affecisse dolore. Hæc cum sic distinctè dicantur, quare ergo Angelus faciei Dei & Spiritus Sanctitatis Dei haberentur pro iisdem? Pro distinctione istarum personarum militant distincta prædicata, nihil autem est, ex quo conficiatur eosdem esse, nisi quòd ita voluerit sine ullâ probatione Annotator.

LXIV. Ad VIII. ordine progredimur argumentum, quod sumitur ex 2 Pet. I. 21. *Non ab hominis voluntate facta prophetia;*

tia; sed sancti viri scripserunt ductu Spiritus Sancti. Hunc locum sic urget *Auctor Problematis §.* II. ut dicat: *Videri hîc Spiritum esse creatum, cùm & de malo Spiritu dicatur: Invasit Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ* 1 *Reg.* 18: 10. *Ita etiam c. XIX. de Spiritu bono legitur scriptum: Factus est Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi.* Nos verò planè negamus, Spiritum Sanctum, cujus ductu scripserunt Prophetæ V.T. esse Spiritum creatum. Spiritus enim ille prophetavit ea, quæ post multa secula erant eventura de Christo, ejus beneficiis & regno, ita ut & tempus, locum, alias particulares varias circumstantias denotaverit; prædixerunt prophetæ ejus ductu præcursorem ejus, qui in virtute & Spiritu Eliæ illi sit complanaturus viam, matrem Christi futuram virginem, moriturum Christum, quando domus Davidis non erat germinatura; tempus ejus adventus adhuc alio modo determinatur per LXX. septimanas annorum, quando sceptrum vel tribus fuerit remota à Judâ & legislator è medio pedum ejus, nominatur locus ejus nativitatis, Bethlehem Ephrata; docetur, illum templum secundum intraturum, sicque illud gloriâ repleturum, prædicitur illum Hieroso-

rosolymam intraturum ut Regem sedentem super asino, verba acclamationis, quibus à populo esset excipiendus, præformantur, describitur is qui erat ipsum proditurus, quod sit futurus unus ex discipulis, conspiratio contra illum futura Judæorum & gentium annotatur, prolixè commemorantur ejus dolores & passiones, genus supplicii prænunciatur, felle & aceto dicitur potandus, latus ejus perforandum, verba, quæ clamaturus esset in cruce pendens, expressè recitantur, sepultura cum divite annunciatur, resurrectio post triduanam detentionem in sepulchro memoratur, ascensus in cœlum, sessio ad dextram Patris, & regnum sine fine expresse delineantur. At impossibile est, angelos ea posse prædicere, quæ in causis secundis tot seculis nullo modo poterant prævideri, quæque dependebant à causis secundis liberis planè & contingentibus. Adde, quòd totum illud mysterium salutis per Christum procurandæ tale sit, ut non ex naturâ rei, neque ex naturâ Dei possit derivari, sed totum dependeat ex arcano ejus consilio, quod nemo habet cognitum, nisi qui scrutatur profunditates Dei. Si dicas, Spiritum creatum hæc quidem ex se non habere cognita, sed ea revelata esse ipsi, ut illa revelaret

laret Prophetis dices aliquid, quod nuspiam docet Scriptura, adeoque loquéris ubi tacet Scriptura, & pronunciabis aliquid ἄτερ γραφῆς; quin imò dices contra Scripturam 1 Pet. I. 12. ubi ipsi angeli cupiunt introspicere illa, quæ revelaverat Sp. Sanctus Prophetis, prout plenius ostendimus in antecedentibus. Si objicias, Spiritum Sanctum de Christo accipere, adeoque hæc omnia illi revelari; cogites loco illo Joh. XVI. 15. simul doceri, *omnia quæ habet Pater esse Christi, & propterea Christum dixisse, quòd ex meis accipiet & vobis annunciabit.* Non ergo potes ex his inferre, Sp. S. accipere per revelationem, cùm possit accipere per scrutationem profunditatum Dei, quod argumentum esse Omniscientiæ ex superioribus constare potest. Et cùm ex tam multis Scripturæ clarissimis testimoniis in superioribus laudatis constet, Spiritum S. esse ejusdem essentiæ cum Patre & Filio, ea loca Scripturæ, in quibus ostenditur distinctio quædam inter personas, non sunt explicanda aliter, quàm ratione ordinis & originis. Neque est, quòd urgeat, Spiritum malum etiam agitare quosdam & facere illos prophetare; hoc enim nihil facit ad rem præsentem. Pauca illa sunt quæ prædicunt, plurima ex illis

men-

mendacia, quæ vera prædicunt ea vel στοχαστικῶς & contingentèr assecuti sunt mali angeli, quòd jam præpararentur per causas secundas, vel quòd ipsi illa machinarentur, vel quòd penetrarent consilia & deliberationes Regum talia molientium, vel etiam, quòd Deus ipsis ut executoribus judiciorum suorum quædam revelet. Nec tamen locus 1 Reg. XVIII. 10. hoc est, 1 Sam. XVIII. 10. causam ejus juvat. Saul actus malo Spiritu à Domino prophetare dicitur in domo suâ, non quòd futura prædiceret, quo modo in hoc nostro negotio de prophetis est sermo, sed quòd furore correptus esset. Sic enim Hebræi illud hîc exponunt pro delirare & insanire. Kinchi exponit, *loquebatur verba insaniæ*, & Chaldæus paraphrastes vertit, *desipiebat*. Non malè hîc Martyr annotat: *Hoc est judicium hominum, ut insanos putent prophetare, & rursus veros prophetas insanire. Nam in lib. Regum 4. cùm famulus Elisæi unxisset Hiehu regem, qui illi assidebant, quid sibi vult, inquiunt, iste insanus? Cùm esset propheta, tamen ab illis insanus judicatur.* At cap. XIX. cœtus ille prophetantium erat cœtus laudes Dei canentium, quibus, moti Spiritu Dei, se adjunxerunt nuncii Saulis, & postea quoque Saul ipse;

at nos negamus, Spiritum illum bonum esse creatum. Nam actio, quæ illi tribuitur, talis est, ut in creaturam cadere nequeat. Potest diabolus, intervientibus sensibus tum externis tum internis, agere in filiis inobedientiæ, exhibendo malis objecta mala, ad quæ postea ex propriâ malitiâ feruntur suâ sponte; potest etiam quædam futura manifestare hominibus, quæ aliis prædicant, sed ad id non necessaria est actio immediata in animam, per quam illa immutetur: at Spiritus ille bonus planè immutavit animum Saulis, fuitque actio illa in ejus mente terminata. At supra jam ostendimus, talem immutationem cordis esse solius Dei, qui formator cordis hominum propterea appellatur.

LXV. Sic verò pergit Auctor problematis, & conatur probare, per *Spiritum Sanctum, cujus ductu scripserunt Sancti viri*, teste Petro, *synecdochicè Sanctos angelos esse intelligendos*, ut nempe singularis numerus pro plurativo usurpetur. *Id probabile videri* dicit 1. *ex* 1 *Cor.* 14. 32. Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt; *tum quia pluralitèr dicuntur Spiritus, tum quia subjecti dicuntur prophetis*, de quo ego secus judico. Duplex est istius loci interpretatio, quæ inter orthodoxos controver-

trovertitur: alii enim ita verba ista intelligunt, ut putent designari, debere quemlibet Prophetam subjici collegio & judicio aliorum prophetarum, alii verò hæc verba ita interpretantur, ut existiment, his docere Apostolum, Spiritum Sanctum, qui agitet Prophetas, non ita eos agere, ut violentis rapiat motibus, nec possint continere Spiritum, hoc est donum suum à Spiritu S. acceptum, & exspectare opportunitatem loquendi, sed esse in eorum potestate, ut possint differre usum sui doni divinitus accepti, donec cessantibus aliis prophetis, commodus sibi detur dicendi locus, quæ sententia tempore Martyris communis erat. Quamcunque sequamur sententiam, certum est, per Spiritus prophetarum non intelligi angelos, quorum non est ea potentia, ut corda Prophetarum queant immutare, juxta ea quæ antea fuerunt dicta; potest Sp. Sanctus, qui in se est unica persona, dici Spiritus in plurativo numero ratione pluralitatis & diversitatis donorum, uti jam supra observavimus, quâtenus, prout numero differunt Prophetæ divinitus inspirati, ita & dona illis collata saltem numero & modo, si non & gradibns distinguuntur, sicque Spiritus appellantur; hæc dona sic possunt dici sub-

jecta, adeoque hoc sensu ipsi Spiritus sunt subjecti, Prophetis. Ita prima probatio concidit. Putat, probabile esse, quòd per Spiritus Prophetarum intelligantur Angeli 2. *quia Spiritus* (*pluralitèr*) *prophetarum habent Dominum Deum Apoc.* 22: 9. κύριος ὁ Θεὸς τῶν πνευμάτων τῶν προφητῶν: *ubi Pseudo-Alexander P. P. epist.* 1. *per Spiritus Prophetarum intelligit Spiritum Sanctum: ex loco illo probare volens Trinitatem in Deo* Ad quæ observo, communem lectionem habere καὶ κύριος ὁ Θεὸς τῶν ἁγίων προφητῶν, quam si sequamur, planè nullum est hoc argumentum. Fateor, sic habere vulgatam versionem, & Bezam in uno manuscripto codice sic legisse, unde non multum admodum de illâ lectione volumus contendere, quæ tamen si admittatur, non plus proderit Auctori problematis, quàm profuit prius locus 1 Cor. XIV; eodem enim modo hîc possumus interpretari Spiritus Prophetarum de Spiritus S. donis, ac fecimus in loco 1 Cor. XIV. Ita numero argumentorum maluit niti quàm pondere Auctor problematis. Nam 3. probatio adhuc levioris est commatis. Citat verba quæst. 1. ad Orthod. *Vetus Testamentum primum prædicatum est verbis divinarum potestatum testimonio confir-*

firmatis. Quid verò ad rem, si Auctor quæst. 1. ad Orthod. (in operibus Justini Martyris) Spiritum S. hoc loco vocaret divinas potestates, an nostra fides nitetur hoc auctore? Sic est in Græco: πρῶτον μὲν κηρυττομένην λόγοις θείαις δυνάμεσι μαρτυρουμένοις, quod sic potest reddi: *Vetus Testamentum primùm prædicatum est verbis comprobatis divinis virtutibus*, ubi non est opus, ut per divinas virtutes θείας δυνάμεις intelligamus angelos, cùm sæpe δυνάμεις designent miracula sive operationes mirificas, quæ Verbum divinum sunt comitatæ, quales fuerunt operationes Mosis in Ægypto, ad quas hunc respicere auctorem dubium videri non potest, cùm in seqq. dicat, *deinde*, nempe sub N. T. *operibus, quæ itidem virtutibus divinis edita sunt, Deum imposturam in hominibus & dæmonibus omnem radicitus evellere.* Tædet reliqua ad examen revocare, quæ undique corradit, modò judicet suam ullâ ratione posse stabilire causam; sed tamen devorabimus illud tædium, quia breve erit, quùm ad finem vergat nostrum responsum. Dicit p. 40. *se non facile credere Simonianos in eo ab Irenæo I. 20. reprehensos, quod dicerent*, Prophetas ab angelis inspiratos dixisse prophetias; *sed quòd* angelos *istos dicerent* mundi fabrica-

tores. Irenæus tamen hoc dogma Simonis refert illic & improbat: *Prophetas à mundi fabricatoribus angelis inspiratos dixisse prophetias, quapropter nec ulterius curarent eos hi, qui in eum & Selenen ejus spem habeant*; nam propterea Simon magus nolebat, curandas esse prophetias, quòd inspiratæ essent ab angelis mundi fabricatoribus, quod sanè Irenæus totum ibi improbat. Auctor libri de Trinitate in operibus Tertulliani singularitèr legit: *Spiritus prophetarum prophetis subjectus est*, an ergo inde elicies: Ergo per Spiritum prophetarum intellexit angelos? an non, si Spiritus prophetarum intelligamus in plurativo numero de donis Spiritus, poterimus commodè dicere in singulari, ratione habitâ uniuscujusque prophetæ in particulari, unicuilibet illorum suum donum sic subjectum esse, ut habeat potestatem eo utendi, quando opportunitas id requirit vel permittit; vel, si alteram interpretationem malis sequi: quemlibet prophetarum debere suum donum subjicere collegio fratrum prophetarum, sicque Spiritum uniuscujulibet prophetæ subjectum esse prophetis. Dictum Origenis, quod ex tomo 7. in Johannem citat, si tamen ejus hi sint tomi, non infert, illum

illum putâsse, quòd Sp. Sanctus denotet Angelos: potuit enim Origenes per Spiritus prophetarum, quorum usus concessus esset Prophetis, intelligere dona Spiritus Sancti. Et quid si putâsset? an ejus verba nobis sunt habenda pro normâ veritatis? De iis quæ citat ex lib. 3. contra Celsum jam superius egimus §. 39. quæ nolumus cum ipso repetere, ne crambe sit bis cocta. De Eusebio eadem responsio est cum illâ, quam antea dedimus ad Aut.lib. de Trinit. in operibus Tertulliani, sic ut nihil amplius supersit ex §. 11. ad quod non sit responsum.

LXVI. Subjungitur argumentum IX, quod nititur 2 Cor. 11: 14. αὐτὸς ὁ Σατανᾶς μεταχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός: *ipse Satanas transfiguratur in angelum lucis.* Atque inde hoc modo infert: *Quem hîc Apostolus* Angelum lucis *vocat*, *Origenes appellat* Spiritum S. *tr.* 1. *in Matth. ita scribens: Tertiâ die surrexit à mortuis, ut eripiens à maligno & à filio ejus, in quo mendacium erat & injustitia, & prælium, & omnia contraria eis, in quibus Christus habetur, adhuc autem & à Spiritu immundo, qui transfiguratur in Spiritum Sanctum.* Fatemur, hoc in loco dum dicitur, Spiritum immundum transfigurari in Spiritum Sanctum, alludere Origenem

ad 2 Cor. 11: 14. quod sæpe solet fieri, ita tamen ut propterea non sit dicendum, Origenem illud, quod Paulus dicit de Angelo lucis, interpretari per Spiritum Sanctum. Quod si concederemus, probandum adhuc restaret, & Origenem mentem Apostoli rectè esse assecutum, (non enim credo vellet, nos omne id debere admittere quod scripsit Origenes) & si jam etiam illud concederemus, ulterius foret demonstrandum, Spiritum Sanctum denotare Angelorum genus. Addit Autorem Operis Imperfecti hom. 4. *solam Charitatem Sancti Spiritus non potest immundus Spiritus imitari*; unde hoc reor velle inferre: reliqua Sancti Spiritus posse imitari Spiritum immundum solâ charitate exceptâ, adeoque per Angelum lucis ipsum intellexisse Spiritum Sanctum; ad quod responsio eadem applicari potest cum illâ, quam antea dedimus ad Origenem. Quod subjungit adeò ineptum est, ut an vigilans an somnians scripserit jure queat dubitari. *Vice versâ*, inquit, *quem Christus Luc.* 11: 13. Spiritum S. *vocat, jubens nos petere Spiritum Sanctum, eum Cyprianus* Angelum lucis *nominat*, quando Orat. sub *die passion. ita ait: Angelus tuus lucis protegat me, quoniam tu dixisti quod credentes petieritis per orationem,* *da-*

dabitur vobis. Petit Cyprianus custodiam angelorum bonorum, quos nomine angeli lucis indefinitè accepto designat. Quis sub ullâ rationis specie vel umbrâ inde conficiet, ipsum per Angelum lucis intelligere Sp. Sanctum? Si eum compellaret, si hoc ab ipso Angelo lucis flagitaret, si eum invocaret, putari posset, quòd ipsum intellexisset Spiritum Sanctum, at nunc Deum invocat, petitque à Deo sibi còncedi custodiam angeli lucis. Quòd si tamen id concederetur, adhuc duo illa restarent demonstranda, quæ circa Origenis observavimus testimonium, nimirum, & respexisse Cyprianum ad locum Luc. II. 13. & mentem Christi apud Lucam rectè assecutum, & Spiritum denotare angelorum genus.

LXVII. Sic transimus ad argumentum X. quod ex Joh. 16:7. 13, 14, 15. nectitur. Ita habet Auctor problematis: *Christus dicit:* Ego mittam vobis eum (scilicet *Paracletum*) qui non à se ipso loquetur, sed quæcunque audierit, loquetur, & de meo accipiet & annunciabit (ἀναγγελεῖ) vobis, & futura vobis annunciabit (ἀναγγελεῖ.) *Ergo Spiritus S. officium est esse legatum, nuncium vel angelum.* Hanc Conclusionem sano sensu possumus admitte-

mittere, adeoque Consequentiam argumenti concedere. Quòd Sp. S. sit legatus Patris eo nihil est certius, cùm Scriptura id nimis manifestè doceat, dum dicit, eum à Patre mitti. Atque ita potest dici quoque nuncius & angelus, quâtenus hæc tria inter se invicem æquipollent, modò cogitetur, non esse angelum vel nuncium vel legatum creatum, sed increatum. Missio illa & legatio respondet æternæ processioni à Patre & à Filio, quæ ineffabilis est, sicut & Filii æterna generatio; credenda tamen utraque propter auctoritatem Scripturæ infallibilem, atque in illâ explicandâ non sapiendum ultra id quod scriptum est. Hæc autem æterna processio est fundamentum missionis in tempore, quæ nihil aliud dicit, quàm illum distinctum modum operandi, qui nititur distinctis illis proprietatibus incommunicabilibus personalibus, quibus juxta ductum S. literarum, personæ S. S. Trinitatis inter se invicem distinguuntur. Hic modus agendi in operationibus, quæ tendunt ad extra sive in creaturas, ita distinguitur ratione Patris, Filii & Sp. S. ut Pater operetur à se ipso, sicut ratione suæ personalitatis est à se ipso; Filius à Patre, quâtenus Pater operatur per Filium; & Sp. S. à Patre & à Filio, ut ita Pater

ter & Filius operentur per Sp. Sanctum. Quòd si Auctor Problematis Conclusionem istam intelligat, de legato, nuncio & angelo creato, nos Consequentiam hanc, quam ex Joh. 16. nectit, planè negamus. Scriptura docet, Sp. S. esse æternum, verum & supremum Deum, ejusdem planè essentiæ & dignitatis cum Patre & Filio, quod in superioribus plenius deduximus & demonstravimus; quæ jam porrò in Scripturis de Sp. S. docentur, ea pertinent ad personalem ejus distinctionem à Patre & à Filio, cujusmodi sunt illa, quæ Joh. XVI. 7, 13, 14, 15. leguntur. Dicitur παράκλητος, respectu singularis & appropriati ad suam personam modi operandi, qui est, quòd ut advocatus in nostrâ conscientiâ pronunciet, nos esse immunes, à merito condemnationis, atque ita ut consolator nos soletur contra omnes tentationes; est Spiritus veritatis, quia quam veritatem loquitur in suo verbo, eandem loquitur intus ad nostras conscientias, quòd sic nos ducat in omnem veritatem, quòd non loquatur à semetipso, sed quòd accipiat à Filio, quæ loquitur, adeoque à Patre, quia omnia, quæ habet Pater, habet etiam Filius, quod inde est, quia Patris, Filii & Sp. Sancti una eademque communis est essentia. Atque hinc

hinc tantùm abest, ut sequatur, Sp. Sanctum esse nuncium, angelum & legatum creatum, ut potius sit manifestum, eum verum & summum unà cum Patre & Filio esse Deum, atque quòd dicatur accipere à Filio & legatus esse Patris, id non ad discrimen essentię, sed personæ tantùm pertinere & esse referendum. Hæc de re ipsâ, nunc de iis, quæ citantur ex Origene tomo 20. in Johannem: *Spiritus quidem Sanctus vel angelicus Spiritus cùm loquitur, non ex propriis loquitur, sed à Verbo Veritatis, & Sapientia: id quod etiam manifestat Iohannis Euangelium, in quo de Paracleto docens Servator inquit: De meo accipiet, & annunciabit vobis; mendacium verò quando loquitur, ex propriis loquitur. Ex propriis etiam locutus est in tertio Regum ille Spiritus mendax decipiens Achab.* Ex quibus patet, scriptorem illum argumentari à Paracleto, de quo Johannes, ad Spiritum angelicum, quòd sicut Paracletus accipiat à Verbo Veritatis & Sapientiæ ea, quæ loquitur, ita quoque angelicus Spiritus, si sit bonus & sanctus omnem Veritatem hauriat à Verbo Veritatis; quo non probatur, vel scriptorem illum verba Johannis intellexisse de Spiritu creato, vel illum statuisse, Paracletum sive Sp. S. genus angelorum denotare.

LXVIII.

LXVIII. Argumentum XI. ex Act. II. 2, 3, 4. collato cum Ps. 104. 5. more Auctore Problematis consueto §. 14. concinnatur. *Act. 2: 2, 3, 4. Spiritum Sanctum effundendum, cum magno flatu, & appariturum in specie flammarum ignis (hanc enim speciem referunt linguæ divisæ) vaticinatus videri possit Propheta David, dicens Ps. 104: 5. Qui facis angelos tuos Spiritus (vel ventos, in Græco enim & Hebræo est æquivocum) & ministros tuos ignis flammam.* Quod Spiritus Sanctus in festo Pentecostes pro symbolo præsentiæ suæ usus fuerit magno flatu & specie linguarum divisarum, instar flammarum ignis, docet historia Apostolica Act. 11. Ex Ps. 104: 5. constat, angelos non minus promtos esse ad celeritèr expediendum mandata divina, ac ventus & flamma ignis, quæ celerrimo motu gaudent. Sed non docetur ibi, ipsos angelos esse ventos vel flammas ignis, uti nec Act. 11. dicitur, istas flammas ignis & magnum flatum fuisse Spiritum Sanctum; quæ tamen utrinque dici oporteret, si modo quid ex collatione horum 2. locorum pro sententiâ Auctoris problematis sit conficiendum. Citat Thom. Hobbem de Civit. Christ. cap. 34. sic dicentem: *Non dubito, quin columba & lingua ignea*

ignea in Euangelio, cùm signa essent divinæ providentiæ, possent nec impropriè vocari Angeli; & vult conferri caput proximè præcedens. Sed nec ille liber mihi est ad manum, nec magnæ est auctoritatis Vir ille apud pios, qui in suo Leviathane prodidit, quantopere curet veritatem Religionis, dum eam suspendit à decreto & judicio sui Regis. Si Auctor problematis in eâdem fuit cum ipso sententiâ, & putavit, columbam & linguas igneas fuisse angelos, demonstret id ex auctoritate sacræ scripturæ, quæ apud Christianos sola valere debet; & simul ostendat, Spiritum Sanctum fuisse ipsam columbam & linguas igneas; sic demum confecerit, Spiritum Sanctum genus Angelorum denotare.

LXIX. Succedit XII. argumentum quod habet §. 15. *Spiritum S. prohibemur extinguere* 1 *Thess.* 5: 19. *Verum & Diabolus exstingui dicitur Cypriano orat. pro S. S. Martyr. cùm ait: Asmodæus dæmon nequissimus extinctus per Angelum tuum sanctum Raphaël.* Quod argumentum, præterquam quòd sit affirmativum in secundâ figurâ, etiam concludit, quod sine blaphemiâ dixerim, Diabolum esse Spiritum Sanctum. Sperem & Auctorem problematis ab istâ blasphemiâ abesse, & tantùm voluisse concludere, cùm

na-

natura Diabolorum & sanctorum angelorum sit eadem, Spiritum Sanctum esse genus angelorum sanctorum; sed præcipitantia hæc tamen magis solicitè vitanda fuisset, ne talia incauto exciderent. An Oratio illa sit Cypriani dubitat Erasmus, quæ si fuerit, nititur Auctore Apocrypho libro Tobiæ, de quo jam supra egimus. Si tamen dicatur *exstingui* Diabolus per alium angelum bonum, nihil aliud potest designari, quàm quod superetur, quòd vincatur, adeoque prohibeatur à nocendo. Quando autem 1 Thess. V. 19. prohibemur Spiritum Sanctum *exstinguere*, non agitur de personâ Spiritus Sancti, quæ cùm sit virtutis omnipotentis non potest superari, sicque illi nequit resisti, sed de donis Spiritus Sancti, quæ, dum non excitantur & foventur continuo usu, solent exstingui, imprimis si illa dona sint communia & externa: quantum enim attinet ad donum fidei & sanctificationis, cùm sit *ἀμεταμέλητον*, Spiritus Sanctus ejus auctor id ita fovet & refocillat semper, ut exstingui non possit.

LXX. Argumentum XIII. nititur iterum dicto Apocryphi libri Sapientiæ c. 7. vers. 22, ubi *Spiritus Sanctus* dicitur *multiplex*; quod tamen parum juvat ejus cau-

sam. Potest enim id intelligi ratione donorum, sicut supra ostendimus, septem illos Spiritus Apocalypticos exponi oportere. Arium quod attinet, quem putat eodem sensu statuisse Sp. Sanctum multiplicem, quo auctor ille Apocryphus, nescio, an evidentèr posset probare. Hoc tamen si faceret, Arium sic rectè sensisse de Spiritu Sancto pateret. Si ex Athanasii disputatione à Vigilio compositâ, dum probat Spiritum Sanctum esse simplicem, unicum & singularem, constet, Arium statuisse Spir. Sanctum multiplicem, uti id vult Auctor Problematis, non consensit cum libro Sapientiæ, & erravit gravissimè, atque ita Arii consensum non invidebimus illi. Hoc certum est, quòd Spiritum Sanctum statuerit creaturam Filii, quem tamen quoque pro creaturâ habebat, adeoque quòd non potuerit aliud discrimen inter angelos & Spiritum Sanctum agnoscere, quàm quale est inter creaturas spirituales. Idem & de Macedonio censemus; & ipsemet dicit, Valentinum Spiritum Sanctum & Filium ad Angelorum naturam redegisse. Sed scire vellem, quid hoc faciat ad nostrum negotium, si Arius & Macedonius & Valentinus habuerint Spiritum Sanctum in numero angelorum; nondum tamen

men sequeretur, illos statuisse, Sp. Sanctum multitudinem vel cœtum Angelorum Sanctorum designare; neque hoc dogma sectatores Arii docuerunt, cùm ipse Auctor Problematis dicat, nullum cœtum se novisse, qui hanc sententiam teneat. Quòd si quoque Arius, si Macedonius, si Valentinus, si Ariani, si Macedoniani, si Valentiniani hanc sententiam sunt tuiti, horum hominum manifestè hæreticorum error an nobis erit regula credendi? Quæ sequuntur non intelligo. *Minimè verò hîc memorandi sunt*, inquit, *Tropici, qui seculo* 4. (*non secus ac nostro tempore Bidellus in Angliâ*) *docebant, Sp. S. esse omnium angelorum principem*. Non enim video, quare minus illos censeat memorandos ac Arium, Macedonium & Valentinum; sicut nec intelligo, quare ullum istorum hominum voluerit memorare, cùm sciat apud contra sentientes horum auctoritatem in nullo planè esse pretio. Nisi fortè hoc voluit, Tropicos istos proptereà non esse memorandos, uti nec Bidellum, quia non eandem secum tenuerint sententiam. Quinam fuerint *Tropici* discere possumus ex Athanasio epist. ad Serapionem, *Sp. S. non esse creaturam*. Sic ille Tomo I. editionis Parisiensis pag. 164. *At illi qui reverâ sunt Tropici, hoc est transmu-*

tabiles, fœdere inito cum Arianis blasphemiam in Deitatem inter se partiti sunt, ut isti filium, illi verò Sp. S. creaturam dicerent. Ausique sunt, ut ipsi loquuntur, tropos sibi excogitare, & interpretari illud Apostoli dictum, qui rectè Timotheo scripsit, Testor, *inquit*, coram Domino nostro Jesu Christo, & electis angelis, ut hæc observes sine præjudicio, nihil ex affectibus faciens. *Illi autem dicunt, ex eo quòd Paulus nominato Christo Angelos statim subjunxerit, necessum esse, Spiritum Angelis annumerari, & ejusdem ordinis esse*, (vide hîc hos homines eodem argumento utentes, quo Auctor problematis fuit usus, & hucúsque consentientes, quamvis in eo quod sequitur sit differentia) *eumque angelum esse, sed majorem cæteris.* Fuerunt ergo propago Arianorum, de quorum dissensu vel consensu cùm aliquâ sententiâ non multum sumus soliciti, cùm veritati per hominum quorumcunque, ne dicam hæreticorum, dissensum nihil decedat, per consensum nihil planè accedat.

LXXI. Majorem speciem videtur habere XIV. Argumentum desumtum ex Act. XXIII. 8. *Sadducæi quidem dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum, Pharisæi verò utrumque confitentur:*

tur. Hinc concludit Auctor Problematis: *Ergo* Angelus *&* Spiritus *unum idemque sunt, ut alterum sit* resurrectio. *Synecdochicè autem dici videtur Spiritus pro angelis & spiritibus.* Nos hâctenus possumus concedere, quòd *Angelus* & *Spiritus* sit unum idemque, quâtenus Spiritus est quid commune Angelo, & Animæ humanæ. At hinc tamen nihil potest confici pro quæstione de quâ disceptatur; inde non sequitur, Spiritum Sanctum esse angelos. Intellexerint jam hoc loco Epiphanius, Gregorius Nazianzenus, Philastrius, Ignatius, ut ipse vult, *per Spiritum* Spiritum Sanctum, quid id faciet ad causam præsentem? an inde ergo sequetur, illos auctores per Sp. Sanctum designâsse angelos? &, si hoc jam concederemus, an nos adstringemur in hâc causâ auctoritati humanæ? Verba Pauli de Sadducæis ita possunt exponi, ut dicantur Sadducæi negâsse omnes Spiritus creatos, cujusmodi sunt Angeli & animæ humanæ; sic nihil sanè roboris habebit Auctor Problematis isto in loco pro suâ causâ. Quò ultima verba hujus §. tendant non satis capio: *Idemque manifestè colligitur ex Act.* 19: 2. *ubi τῷ πνεύματι additur vox ἅγιον.* Quid enim illud *Idem*? an putat ex Act. 19. 2. colligi,

quod Act. xxIII. 8. per *Spiritum* sit intelligendus Spiritus. Sanctus? Id enim oportet ut significent verba, si ullo modo debeant facere ad ipsius institutum. At quo consequentiæ genere illud conficietur? ipsemet observat inter hæc duo loca hanc distinctionem, quòd Act. xix. 2. addatur ἅγιον, quod Act. XXIII, 8. non reperitur: tantùm ergo abest, ut eodem sensu utrobique vox πνεῦμα debeat accipi, ut potius sit censendum, diversum esse sensum.

LXXII. Sed ad finem pervenimus, ultimùm enim tantùm restat *Auctoris Problematis* argumentum. Sic ille §.18. *Cùm nullo modo probabile sit, Apostolos nullam angelorum mentionem in Symbolo suo injecisse, quando tanto studio Christus & Apostoli refutârünt Sadducæos, nullos Spiritus credentes, videntur utique sub Spiritus S. nomine Angeli intelligendi.* Supponit hîc Auctor Problematis, Symbolum illud, quod Apostolorum dicitur, ab Apostolis ipsis eâ formâ, methodo & ordine, quo habemus illud, esse conscriptum, quod à quibusdam ex nostris Theologis falsitatis evidentèr est convictum. Nec enim Lucas in Actis, ubi tam accuratè descripsit historiam prædicati Euangelii ab Apostolis tum inter Ju-

Judæos tum inter gentes, rem istam tanti momenti, qualis fuisset, quòd ab Apostolis, antequam à se invicem separarentur, istius modi formula fidei fuisset concepta, omnibusque verè Christianis tanquam norma succincta credendorum fuisset relicta, potuisset neglexisse saltem nullo modo credibile est, Paulum vel Petrum, inter quos pactum est, ut ille gentibus, hic Judæis Euangelium prædicaret, id neglecturum, quin rei istius mentionem facerent quandam: nec Patres, qui ante Concilium Nicænum scripserunt, qui particulares formulas fidei suæ reliquerunt, illam formulam potuissent omisisse; ut ita, cùm istius traditionis nullus certus exstet auctor, non appareat, quare tale quid sit supponendum. Videat qui volet hujus rei plura argumenta eaque latius deducta apud Magnum Vossium de tribus symbolis p. 22. & seqq. Interea nos libentèr admittimus, Symbolum istud, tum quoad verba tum quoad rem, cum Apostolicâ doctrinâ perfectè concordare, unde & ab omnibus Christianis meritò debet magni æstimari. Et videtur successu temporis formatum & pedetentim alios atque alios articulos professioni S. S. Trinitatis, quæ istius Symboli prima videtur fuisse basis,

fuisse adjectos. Ut per Spiritum Sanctum illic intelligantur Angeli, planè nobis impossibile videtur. Proponitur enim in illo Sp. Sanctus objectum nostræ fidei & fiduciæ non minus quàm Pater & Filius; sicut dicitur: *Credo in Deum Patrem*, ita adjungitur; *& in Filium ejus unigenitum*, ut &, *Credo in Spiritum Sanctum.* Maledictus autem est, qui fiduciam collocat in creaturis, cujusmodi sunt angeli, quâ de re in superioribus plenius fuit actum. Non igitur possumus in illo Symbolo per Sp. Sanctum intelligere angelos. Angelorum mentionem in illo Symbolo censemus fieri sub nomine *cœli & terræ*, quando dicimus: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem cœli & terræ*; neque necesse erat, ut particularis eorum fieret mentio. Contra Sadducæorum errorem militant scripta Euangelistarum & Apostolorum, à quibus illis est contradictum; apud quos igitur Christi & Apostolorum valet auctoritatis, imò apud quos valet auctoritas librorum V. T. non possunt negare, Angelorum existentiam.

LXXIII. Atque ita satisfactum puto Problematis Auctori, & scrupulos non tantùm sublatos, sed insuper demonstratum, non posse per Spiritum Sanctum, (prout

(prout in Scripturis nobis proponitur, ut tertia S. S. Trinitatis persona à Patre & à Filio distincta) genus Sanctorum Angelorum intelligi, qnorum prius fieri postulabat §. 23. An nunc se sit docilem discipulum exhibiturus, non meum, sed Christi, sed Dei in Scripturis loquentis, tempus docebit. Pauca quædam adjungenda sunt in gratiam *Auctoris addendorum*. Refutat is p. 53. sententiam Socinianam negantem, Sp. Sanctum esse personam, de quo cùm hâctenus utrinque sit consensus, non est quod agamus. Sed non possumus præterire, quæ p. 59. observat. Sic ille: *Praterea notandum est, quòd, quemadmodum sub Novo Fædere nihil est, quòd Deus &* Christus *per Spiritum Sanctum efficere non dicuntur, ita patet ex S. Scripturâ Deum omnia fere per Angelos efficere solere. Quod adeò est manifestum, ut ab omnibus propemodum agnoscatur id esse verum. Conjungantur itaque hac cum illis, qua ad Authoris §. 10. ad marginem annotavimus.* Illa huc inserviebant, ut evinceretur, Spiritum Sanctum esse Angelos, uti vidimus §. 62. ubi etiam illam Annotationem plane evertimus. Censendum ergo est, ea quæ in præsens observantur ad eundem scopum vergere. Quem tamen non video, quâ ra-

ratione queant obtinere. Quando Pater & Filius dicuntur operari per Sp. S. consideratur Sp. S. tanquam tertia S. S. Trinitatis persona, cui ratione originis & ordinis ejusmodi operandi modus assignatur, uti in superioribus ostendimus. Id non derogat quicquam ejus dignitati & excellentiæ, quæ æqualis est tribus illis personis; nec ille hîc consideratur ut Patris & Filii minister aut instrumentum, sed tantum ut tertia ratione originis, ordinis & modi operandi persona in S. S. Trinitate; quæ à se invicem qui non distinguit, necesse est ut pugnantia de Sp. Sancto sacris literis affingat. At si dicatur, *Deum omnia* fere *per Angelos efficere solere*, non dum dicitur, *Deum omnia* absolutè nullo excepto *per Angelos efficere solere*, quod & falsissimum esset. Neque enim Deus Creationem, nec Conservationem, nec Redemtionem, nec Sanctificationem efficit per angelos. Sic itaque non potest concludi, Spiritum Sanctum denotare Genus Sanctorum angelorum. Quòd si jam concederemus, Deum *ferè* omnia per angelos efficere solere, si modo simul dicatur, Angelos obtinere rationem instrumentorum & ministrorum Dei in istiusmodi operibus, quod Scriptura dicit, dum Ange-

los

los λειτουργικὰ πνεύματα appellat, Spiritum Sanctum verò ubivis considerari ut æqualem Patri & Filio, ejusdem cum iis dignitatis & excellentiæ, non poterit concludi, Spiritum Sanctum & Angelos Sanctos pro iisdem esse habendos.

LXXIV. Videamus nunc, quomodo *Auctor Addendorum* probet, *Deum per Angelos omnia, de quibus in sacris literis est mentio, perfecisse*, prout loquitur p. 59. 1. dicit, id *ex eo colligi, quòd nullum unquam discrimen inveniamus inter Illum, per quem Lex est lata (quem Angelum fuisse fusius ab Authore nostro demonstratum est) & Eum, qui mundum condidit, ipseque perpetuo IEHOVA, Angelus IEHOVA, Deus* Abrahami, &c. *Mundi Creator &c. nominetur. Vid. Gen.* 2: 4. 7. *&c.* 11: 5. 6. 12: 1. *coll. cum cap.* 16: 7. 9. 10. 18: 1. & 19: 1. 48: vers. 15. 16. Judic. 2: 1. 4. 5. 13: 3. *coll. cum versu* 22. Zach. 3: 2. 3. *& infinitis penè locis.* Sed nos §. 61. ostendimus, illum Angelum, qui est JEHOVAH, esse Filium Dei, esse angelum increatum, esse summum & æternum Deum. Ibidem quoque demonstravimus, opus Creationis non posse ullo modo Sanctis angelis assignari, cùm sit opus potentiæ planè infinitæ, quæ omnia ut

ut lector hîc inspiciat & repetat, rogamus, unde sequitur, angelum illum, qui est Jehova; quique est Creator mundi, esse supremum & æternum Numen. Hoc potius debuisset inde colligere, quàm ut hinc probaret, Deum per angelos omnia, de quibus in sacris literis mentio est, perfecisse; unus enim hic est idemque Angelus, de quo in locis citatis fit mentio, isque idem qui & Jehova, adeoque Supremus Deus existit. Probat id 2. *Patet ubique*, inquit, *Angelos apparuisse, ut pios juvarent, impios punirent, arguerent, Dei decreta exsequerentur &c. Vid. Gen.* 16: 7. 8. 18: 2. 22. 28: 12. 2 Reg. 19: 35. *Vide etiam Dan.* 10: 13. 20. 21. *& ubique Tota fere Scriptura mihi describenda foret, si cuncta, quæ huc faciunt, annotare vellem. Quapropter* Petrus Ravanellus *Biblioth. S. S. Tom.* 1. *p.* 161. 162. *expresse fatetur, Deum* illis uti, in exequendis mandatis & judiciis suis, in toto terrarum orbe, *eosque* res creatas, rerumque creatarum ordinem tueri & conservare, eorumque operâ eum uti, in regnis rebusque publicis confirmandis & protegendis. *Ostenditque nihil fermè nisi per illos à Deo peragi, circa hominum genus. Ex quo non immerito colligi videtur, Angelos Sanctos & Sp. S., non magis differre,*

ferre, quàm homines & mortales. Ex his locis aliisque à Ravanello citatis fatemur, constare, Deum sæpissimè Sanctorum angelorum uti ministerio ad varia sua opera exsequenda, atque hoc est, quod Ravanellus quoque docet; sed is non ostendit, *nihil fermè nisi per illos à Deo peragi circa hominum genus*, multò minus dicit absolutè *omnia, de quibus in sacris est mentio, Deum per Angelos perfecisse*, prout dicit Auctor Addendorum, quod etiam ex locis Scripturæ citatis non potest confici.

LXXV. De Proverb. VIII. capite, ubi de Sapientiâ æternâ Patris, quæ est Filius Dei, quædam adhuc monenda. Dicit *Auctor addendorum* pag. 161. *non satis manifestum esse, an per* Sapientiam *apud* Salomonem *non possit intelligi Angelus, sive Spiritus, cujus curæ ista res commissa forent.* Quæ inconsideratè nimis sunt dicta; cùm nequeat his hominibus latere, nostros Theologos per illam Sapientiam intelligere secundam personam S. S. Trinitatis, adeoque Supremum Numen, idque variis argumentis ex visceribus textus intimis probare. Nolumus id aliter, quam obitèr hîc ostendere, cùm in transitu tantum agat de illo Auctor Addendorum. Dicitur vers. 22. Jehova istam sapien-

pientiam possedisse קדם מפעליו מאז *ante molitiones suas ex tunc*, liceat nobis Hebræa ad verbum transferre קֶדֶם significat *ante* & מִפְעָלִים significat *molitiones*, quo nomine ipsa decreta Dei sunt intelligenda Decreta Dei æterna esse & ratio & Scriptura docet, ante illa ordine naturæ prius concipienda est æterna sapientia, quia per illam ista decreta ab æterno sunt facta. מאז est adverbium temporis, quod sic pro tempore generatim potest accipi. *Ex tunc*, quando erat tempus, sive, quando cœpit esse tempus, ego jam antea fui, & possedit me Jehova. Fuit ergo ista Sapientia ante tempus eamque ante tempus possedit Jehova, estque illa æterna dicenda. Quis dicat, hoc cadere in Angelum, nisi qui angelum pro Deo habeat æterno? Quis Angelus erit, quem Deus potest dici genuisse ab æterno, & qui fuerit אמון nutritius Dei & deliciæ ejus perpetuæ vers. 30. Hæc de Filio Dei, qui ipse Deus est, dici queunt, non de Angelo, qui est creatura. Neque est, quod hîc forte excipiatur, *librum illum Salomonis nil nisi parabolas habere* (quod observat *Auctor Addendorum* p. 60.) si hoc ita intelligas, quasi omnia ista, quæ de illâ Sapientiâ hîc di-

cun-

cuntur, impropriè sint accipienda. Liber ille dicitur משלי, quòd contineat sententias egregias vim regulæ habentes, quæ vel propriis vel impropriis verbis enunciantur, quod *αὐτοψία* libri manifestè docet. Sed nolo diutius his inhærere.

LXXVI. Adjicit Auctor Addendorum p. 61. novam argumentationem, quam censet, *non inutile videri eruditis hominibus examinandam exhibere.* Dicit: *Iudæos antiquos & recentiores, nec non antiquos Christianos, & ex recentioribus non paucos, magno consensu credidisse, vel omnibus hominum individuis, vel piis saltem, Angelum custodem à Deo assignari, Grotius in Matth.* 18: 10. *affirmat atque ostendit. Quam opinionem Christianos à Iudæis accepisse credit, atque ex dicto loco hausisse, vel in eâ confirmatos esse existimat, nec non ex Act.* 12: 15. *aliisque locis. Quicquid sit*, urget sic argumentum Auctor addendorum, *ex locis istis haud absurdè sententia ista videtur hauriri. Cùm enim* Christus *Matth.* 18: 10. *Angelorum excellentissimos, parvulorum Angelos appellat, innuere videtur, illos à Deo ipsius custodes aut ductores esse destinatos. Illis verò solis, non aliis piis, Angelos assignatos esse, non videtur esse vero simile.*

mile. Hinc lux oritur aliis locis, videlicet 1 *Cor. XI.* 10. *ubi* propter Angelos *fœminis, velato capite frequentare cœtus injungitur. Lucem etiam fœnerabitur alius locus Ephes.* 4:30. ne Spiritum contristemus Sanctum, quo obsignati sumus, nec *non Act.* 12:15. 2 *Cor.* 1:22. *Ephes.* 1:13, 14. *Rom.* 8:16. 13. *similesque. Ex quibus omnibus, quis sit Spiritus Sanctus, non obscurum esse videtur.* Ego verò existimo, ex hâc sententiâ de Angelo custode vel omnibus hominibus (vel saltem piis assignato nihil accedere roboris opinioni, quam Auctor addendorum cum suo socienno propugnat, quòd per Spiritum Sanctum genus Angelorum debeat intelligi. Sententiam illam de Angelo custode antiquam admodum esse non inficiamur, sed ejus antiquitas parum auctoritatis ei conciliat. Originem illa ducit ab Ethnicis, qui magno consensu crediderunt, genios peculiares singulis hominibus & familiis, & urbibus & provinciis esse assignatos. Inde orti sunt Penates dii & Lares, dæmonesque præstites, quos ἐφεστίους appellant Græci. Ammianus Marcellinus lib. 21. p. mihi ex editione Valesianâ 198. *Ferunt Theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salvâ firmitate fatali, hujusmodi quædam velut*

velut actus rectura numina sociari, admodum tamen paucißimis visa, quos multiplices auxere virtutes. Idque & oracula & auctores docuere preclari: inter quos etiam est Menander Comicus, apud quem hi senarii duo leguntur: Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου. *Itidem ex sempiternis Homeri carminibus intelligi datur, non deos cœlestes cum viris fortibus collocutos, nec adfuisse pugnantibus vel juvisse, sed familiares genios cum iisdem versatos: quorum adminiculis freti præcipui Pythagoras enituiße dicitur & Socrates, Numaque Pompilius & superior Scipio: &, ut quidam existimant, Marius & Octavianus, cui Augusti vocabulum delatum est primo: Hermesque Ter maximus, & Tyaneus Apollonius, atque Plotinus, ausus quædam super hâc re dißerere mystica, altéque monstrare, quibus primordiis hi genii animis connexi mortalium, eas tanquam gremiis suis susceptas tuentur, quoad licitum est, docentque majora, si senserint puras, & à colluvione peccati immaculatâ corporis societate discretas.* Censorinus: *Genius est Deus, cujus in tutelâ, ut quisque natus est, vivit.* Apulejus de Deo Socratis pag. mihi 111. part. 2. edit. Basileensis: *Plato autumat singulis hominibus in vitâ agendâ*

P *testes*

testes & custodes singulos additos, qui nemini conspicui semper adsint, omnium non modò actorum testes, verùm etiam cogitationum: Ac ubi vitâ editâ remeandum est, eundem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico & trahere veluti custodiam suam ad judicium, atque illic in causâ dicendâ assistere: si qua commentiatur, redarguere: si qua vera dicat, asseverare; prorsus illius testimonio ferri sententiam. Hæc est antiquitas illius sententiæ, quæ habet auctores Ethnicos, & Judæos approbatores, qui ab his illam sententiam videntur mutuati, sicut à magis varia, quæ de angelis scribunt, hausisse censentur Junio §. 52. laudato, quam opinionem Christianos à Judæis accepisse credit Grotius.

LXXVII. Scriptura verò huic sententiæ non videtur favere, quæ in communi hominum piorum custodiam assignatam docet Angelis, dum eos λειτουργικὰ πνεύματα vocat; sic illa docet, uni animæ Lazari angelos custodes assignatos esse plures, qui portârunt animam ipsius in sinum Abrahæ, & in communi Angelos Dei dicit gaudere super uno peccatore resipiscente. Ita circa Elizæum castra angeli metiebantur, & Jacob vidit scalam, super quâ Angeli ascendebant & descendebant. Neque est, quòd

quòd cum Grotio dicas, *viris eximiis multos dari custodes*, quasi non dentur etiam aliis piis & fidelibus non ita eximiis. Nam de quolibet resipiscente peccatore gaudent angeli plures, & Lazarus introducitur tanquam aliquis ad communem fidelium sortem pertinens; quorum consideratione ista exceptio evanescit. Locus Actor. XII. 15. ad summum docet, fideles istos fuisse in illâ opinione, quæ inter Judæos erat communis, Angelum singulis piis custodem fuisse adjunctum, quæ, quamvis communis esset, non tamen propterea pro verâ erat habenda, quam tamen toleravit Deus in suis etsi erronea foret, cùm error illeipsorum saluti nihil quicquam obstaret; etsi ne quidem hoc ipsum necesse sit ut asseramus, cùm possit etiam dici, eos hoc sensu dixisse angelum ipsius adesse, non ut designarent certum aliquem singularem tanquam custodem ipsius, sed tantùm esse unum aliquem angelorum bonorum, qui omnes in universum custodiæ fidelium sunt assignati; ne nunc dicamus, quòd vox ἄγγελος etiam nuncium designet, sicque potuerint dixisse fideles in ædibus congregati, nuncium esse à Petro missum. At Matth. XVIII. 10. Christus monet, ne aliquem ex parvulis istis, qui in se credant,

scandalizent, hoc usus argumento, quòd, quamvis parvuli videri possint in oculis hominum, magni tamen fiant apud Deum, quòd ipsorum causâ angeli boni à Deo mittantur, qui curam eorum habeant, atque illorum nomine videant faciem Patris cœlestis, exspectantes ejus mandata; unde non sequitur, quemlibet fidelem suum specialem angelum sibi habere assignatum custodem.

LXXVIII. Nescio verò, qualem lucem velit oriri ex suâ, quam refutavimus, observatione, aliis locis à se laudatis. 1 Cor. XI. 10, fœminis injungitur, ut velato capite frequentent cœtus propter angelos; quid quæso sententia illâ de angelo custode singulis hominibus assignato faciet ad loci hujus intellectum? an non possumus ergo locum istum intelligere, nisi statuamus, Angelum custodem unicuique hominum assignatum? an ergo non possunt angeli præsentes esse in Ecclesiâ, nisi quilibet eorum habeat suum fidelem, quem singillatim custodiat? Nolo nunc prolixam istius loci explicationem instituere, cùm hæc sufficere ad rem præsentem posse videantur. Non plus lucis ex illâ sententiâ consequetur Eph. IV. 30. nisi statuatur, non posse intelligi, quomodo Sp. S. queat tristitiâ affici,

fici, si per eum non intelligamus angelos. Sanè Deum quoque tristitiâ affici, dicit Scriptura, an ergo ipse Deus non potest dici tristitiâ affici, nisi Deum mutemus in angelos? Quid igitur dicet de Ps. LXXVIII. 40. ubi Psaltes conqueritur de Israëlitis in deserto: *Quoties exacerbârunt illum in deserto? dolore affecerunt eum* יַעֲצִיבוּהוּ *in solitudine?*

Quæ de Deo ἀνθρωποπαθῶς dicuntur in Scripturâ, ea θεοπρεπῶς sunt intelligenda. Deus potest tristitiâ affici, quando id agitur à peccatore, quod Deus prohibuit, quod pugnat contra ejus voluntatem revelatam & leges ferentem. Si Deus esset ut homo, excitaretur in ipso affectus similis affectui humano, qui nomine Doloris & Tristitiæ solet insigniri, & sequeretur voluntas illum contemtum vindicandi, sicut solet fieri in parentibus, quando liberi eorum transgrediuntur mandata. Cùm autem Deus alienus sit ab omni imperfectione, sitque ille supremo modo beatus, nullaque sit penes eum mutatio, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, non potest in ipso affectu Tristitiæ inter illum & hominem esse similitudo, sed tantùm quoad effectum, qui est vindicta istius contemtus. Eodem sensu Spiritus Sanctus tristitiâ afficitur, cùm sit Deus; quamvis

etiam hoc modo possit dici, pios tristitiâ afficere Spiritum Sanctum, quâtenus id suis peccatis obtinent, ut ille in ipsis operari debeat tristitiam dono pœnitentiæ, qui aliàs alio dono, spiritus nempe lætitiæ, in iis fuisset operaturus. De loco Act. XII. 15. paulo ante diximus. Quis verò nisi cæcutiens putet, per illam sententiam lucem inferri 2 Cor. I. 22. Ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς καὶ δοὺς τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, *Qui etiam obsignat nos & dat arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.* Meras potius tenebras offundet huic loco, qui putaverit, arrhabonem Spiritus esse angelum custodem. Illéne ergo operabitur in fidelibus certam fiduciam, quâ persuadeantur, se esse filios Dei? Illéne consolabitur eos in omnibus angustiis consolatione illâ internâ, & pace conscientiæ, quæ excedit omnem intellectum Phil. IV. 7? Deum, adeoque Spiritum Sanctum, hâc efficaciâ operari in cordibus nostris, quæ quovis momento & quoad esse & quoad bene esse, hoc est, quoad gratiam salutarem ab ipso dependent, & conservantur, intelligi potest; atqui hanc operationem assignare voluerit angelo custodi, angelo creato, angelo bono, qui quovis momento à Deo, & quoad suum ipsius esse,
&

& quoad suum benè esse, ipse dependet, ut angelum in Deum, creaturam in Creatorem, dependentem in Independentem commutet, necesse est. Idem dicendum de loco Eph. I. 13. 14. ubi similitèr fideles *obsignati* dicuntur *Spiritu promissionis Sancto, qui est arrhabo nostræ hæreditatis.* Atque ex his facile patet quoque, & Rom. VIII. 16. 23. similesque alios locos, quos non recitat, non posse intelligi, si per Spiritum Dei intelligamus angelum custodem. Appellatur ille *Spiritus Dei* vers. 15; *qui eo ducuntur*, dicuntur *esse filii Dei* ibid; appellatur *Spiritus adoptionis* υἱοθεσίας, *per quem clamamus Abba Pater*; vers. 15. dicitur *ille vers. 26. unà testari cum Spiritu nostro, quòd simus Filii Dei*, & vers. 23. *nos* dicimur *primitias Spiritus habere.* An Angelo custodi hæc competere possent? Duci Spiritu Dei est inspirari & impleri sanctis cogitationibus, quibus fiat, ut non amplius ambulent secundùm carnem, sed secundùm Spiritum. An ergo Angelus custos, angelus creatus dominatur nostro cordi, ut ita illud possit ducere, ut impleat illis sanctis cogitationibus, quæ efficiant, ut ambulemus secundùm Spiritum? Id nemo efficere potest, nisi is, in cujus manu sunt

corda hominum, qui illa flectit eò, quo vult, quod de Deo pronunciat Scriptura. An primitiæ Spiritus possunt esse angelus à Deo ad nos custodiendum missus? primitiæ Spiritus sunt ejusdem planè naturæ cum fructibus Spiritus. *Fructus* autem *Spiritus sunt*, *amor*, *gaudium*, *pax*, *longanimitas*, *benignitas*, *bonitas*, *fides*, *mansuetudo*, *continentia*, Gal. V. 22. 23. Hosne putabimus producere posse in agro nostrorum cordium angelum aliquem creatum, angelum custodem? Hi fructus sunt ejusmodi, ut sint quoque fructus fidei, quæ efficitur per superabundantem magnitudinem potentiæ Dei juxta efficaciam roboris virium ipsius Eph. I. 19. Quomodo verò Spiritus aliquis creatus potest esse Spiritus adoptionis, per quem clamamus Abba Pater? Est Adoptio opus S. S. Trinitatis, in quo concurrere non potest creatura. Filius meritus est nobis Adoptionem, conferendo nobis jus illud ad hæreditatem, quod suo sanguine acquisiverat; Pater admittit istud meritum Filii & consentit, ut jus illud in nos transferatur; Spir. Sanctus intimat istam adoptionem, dum nos facit clamare Abba Pater; nisi ergo Angelus ille custos sit Deus, non potest nomine Spiritus ad-
optionis

optionis intelligi. Spiritus ille testatur unà cum Spiritu nostro, quòd simus Filii Dei. Spiritus ille id testatur in Scripturâ, dum docet, eos esse Filios Dei, qui credunt in nomen Filii Dei unigeniti, adeoque ille Spiritus est auctor Scripturæ, quod angelo creato nullâ verisimilis specie potest assignari; idem & Spiritus ille testatur in cordibus nostris, in quibus & operatur, & quæ propterea intimè habet cognita, quod solius est Dei, qui καρδιογνώστην se dicit.

Sic ad finem decurrit noster labor, quem lubentes impendimus ad asserendam gloriam Spiritus Sancti divinam, ab hominum pari malè in ipsum animatorum infelicitèr oppugnatam. Sit tibi, ô Benignum Numen; Sancte Spiritus, Domine & Gubernator mentium tàm angelicarum, quàm humanarum, gratus hic meus labor, quamvis magnâ cum imbecillitate susceptus, perficiatur tua virtus in meâ infirmitate, subjice tibi corda omnium de te malè sentientium, converte ea, inspira salutares motus,

tus, duc me in omnem veritatem, sermo tuus est veritas; custodi me ab erroribus, præserva imprimis ab iis, qui saluti damnum inferrent, facies tua gratiosa mihi præluceat, me custodiat, non angelus creatus, qui non satis foret potens ad me ducendum in itinere recto, ad eradicandum illud malum, quod mihi ab infantiâ inhæret, ad crucifigendum veterem hominem & vivificandum novum, ad me sanctificandum & tandem æternâ salute beandum. Tu verò, ô Domine, hæc omnia potes; tua est majestas & robur & sapientia; remitte mihi peccata mea, ignosce lapsibus quotidianis, sanctifica me magis magisque in dies, fac ut tibi vivam, tibi moriar, tuus sim maneamque in vitâ & in morte. Tuum enim est regnum, tua est potentia, tua est gloria in secula. Amen.

FINIS.



